



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1602

Capita Decimitertij Libri sunt XIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14077

terius nutu, & voluntate non pendeat. Fratres igitur Minores tanquam conuiuæ quidam, vel à Romano Pontifice, vel ab ijs, qui ipsis eleemosynas largiuntur, inuitantur, quibus nempe victus, vestitus, & cætera ad studium, cultum, ac ministerium diuinum necessaria subministrantur. Argumenta verò Ioannis XXII. probant quidem vsum iuris, qui est facultas vtendi rebus in proprium commodum, salua earum substantia, à dominio minime separari in ijs, quæ vsu consumuntur, quando talis facultas ita nostra est, vt nõ sit alienæ voluntati subiecta: sed hic vsus non est facti, nec cadit in Fratres Minores. Cum ergo quaeritur, num Frater Minor, quum edit panem, licitè consumat? Respondeo, licitè consumere. Cum deinde infertur, ergo iustè: Non nego. Cum subinde, ergo habet vsum Iuris: Distinguo. Habet quidem vsum facti licitè, ac iustè, quia voluntate Domini panem edit, & consumit; sed non tamen vsum iuris habet, qui ipsi absque alterius nutu, & voluntate conueniat: talis enim vsus, qui ex aliena voluntate non pendet, dominium tribuit, ac præstat in pane.

IOANNIS AZO-
RII LORCITANI, E SO-
CIIETATE IESV,
INSTITVTIO
NVM MORALIVM,
LIBER XIII.
CAPVT PRIMVM.

*De certis quibusdam Priuilegijs, Ordini-
bus Religiosorum Mendican-
tium concessis.*

PRIMO quaeritur, Quo modo, quaque occasione Fratrum Mendicantium Ordines fuerint prima sua priuilegia consequuti. Antequam Mendicantium Ordines fundarentur, florebant, ab antiquis Ecclesiæ temporibus Monachorum, & Canonicorum etiam Regularium instituta: erecti verò, & stabiliti Mendicantium Ordines, multa præter Monachorum commune ius, institutum, morem, ac disciplinam solitam introduxerunt, non sine causa videntur, ideoque non multò post, maleuolorum, & obreptatorum calumnijs, ac molestijs appeti, & infestari cœperunt: Nec vulgares homines eos vexauerunt, sed literati, & docti, qui studio nescio quo pietatis, ac veritatis adducti, & perimori videbantur. Guilielmus quidam in oppido Amatoris apud Sequanos natus, idemque Bellovacensis Canonicus, & Odo cognominatus, de Duaco, Giraldus Sigerius, & alij Doctores Pari-

sienfes Sorbonici, non solum in templis ad populum habitis concionibus, & in scholis publicis disputationibus, sed etiam scriptis libris multos errores in Vulgus sparsere; docentes Religiosos, siue Fratres Mendicantes fas non esse docere, concionari, sacras poenitentium confessiones audire, Sacramenta ministrare: debere item eos suis manibus laborare ad victum, & vestitum sibi comparandum; & omnino eos, qui corporis viribus valerent, ad laborandum esse adigendos: Ad hæc, non licere eis secularium Doctorum, ac Magistrorum numero adscribi, ad honorificos eorum gradus, & titulos prouehi, & insignia deferre: tadem nemini ius esse se suis rebus vniuersim abdicare, nec esse licitum ei, qui firmo corpore fit, viribusque sanis, & integris, ex cibo mendicato viuere, & sustentari.

Hæc calumnijs, & erroribus sparsis, illi Theologi, vehemèter sanctæ Parisiensis Academiæ conturbauerunt: vt proinde S. Thomas opusculum exiguum ediderit cõtra impugnantes Religionem: Sanctus quoque Bonauentura Apologia, & Opusculis conscriptis eos egregiè confutauit: Alexander item Halensis non nihil in eandem sententiam scripsit, eiusmodi persecutionis procella excitata videtur Apostolicam Sedem tenente Innocentio Quarto. Porro Guilielmus ille, ab Alexandro Quarto est Romam euocatus, vbi auditus, conuictus, & damnatus Beneficijs omnibus spoliatus esse perhibetur, eiusque liber publicè igni exustus, & ipse auctor à sancto Ludouico huius nominis IX. Francorum Rege, tora Francia expulsus, & eiecclus. Giraldus verò graui paralyti, & fœdâ lepra consumptus interijt. Guilielmi autem liber ille, sic inscribatur. *Tractatus breuis de Periculis nonisimorum temporum ex Augustini doctrina collectum.* In eo libello continebantur contra Mendicantium Regularium cœtus eiusmodi errores: Mendicantes Fratres esse in statu periculoso, nec saluos esse posse: Non licere alicui omnia bona spontè relinquere, nec cibo mendicato viuere, etiam Christi causa: Lethaliter peccare largientes eleemosynas Fratres Mendicantibus. Itè quicquid scriptura refert de falsis prophetis, falsis Apostolis, & Antichristi nuncijs, intelligi de Religiosis mendicis. Et hæc fuit prima excitata tempestas, contra Mendicantium Ordines, qui subesse, & parere Academiæ Parisiensis recusabant.

Secunda exoriri cœpit sub Innocentio III. qui præcepit, ne Mendicantium Ordines admitteret: et seculares homines ad Diuina officia audicnda diebus Dominicis, ac festis: Ne item conciones haberent ad populum in suis templis, donec omnia in singulis parochijs Missarum sacrificia facta essent; nec vllas confessiones audirent absque Parochorum permisso, & concessu. Ne vsquam concionarentur Episcopo concionante, vel alicubi concionem audiente. Item, si in eorum templis aliqui sepelirentur, ipsi Mendicantes certam pensionem Parocho soluere intra octo dies, etiam si Parochus nihil omnino petijset.

Inde Parisienses Sorbonici supra nominati Doctores ansam arripuerunt publicè docendi, priuilegia Pontificum Mendicantibus concessa, in quibus eis dabatur facultas confessiones excipi-

endi, &

endi, & ad Diuina officia admittendi homines seculares, nullo modo derogare auctoritatem Parochorum; & proinde nihil huiusmodi priuilegijs obstantibus, seculares homines sua peccata Mendicantibus confessos Ecclesie præcepto minimè satisfacere, nisi Parochis semel in anno confiterentur, nec rem diuinam diebus Dominicis, ac festis in sacris Mendicantium ædibus audientes, Ecclesie præceptum seruare, nisi in sua quisque Parochia hisce diebus interesset. Tandem eo vsque docendo, & scribendo processerant; vt Ioannes quidam de Poliaci dictus, tres errores, tum inter concionandum, tum inter docendum in scholis in vulgus disseminauerit, quorum primus erat: *Confessio Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, teneri ad confitendum deum proprio Sacerdoti eadem peccata, que olim fuerant confessi.* Secundus error: *Positio editio Concilij Generalis, quod habetur in ea. Omnis vtriusque sexus, De parit. & remis. Romanum Pontificem non posse facere, ne Parochiani teneantur ad sua omnia peccata confitenda semel in anno, proprio Parocho.* Tertius: *Non posse Romanum Pontificem, immò nec Deum quidem potestatem generalem concedere, quin confessus habentibus huiusmodi facultatem, teneatur ad confitenda iterum suo proprio Parocho eadem peccata.* Sicille. Qui quidem errores, tanquam periculosi, necnon & valde perniciosi, damnati sunt à Ioanne XXI. in Constitutione, que habetur inter extravagantes communes, De heret. & schismat. hoc initio: *Vas electionis; & auctor eorum dogmatum, est Auenionem vocatus, auditus, conuictus, & damnatus.*

Fuere non pauci ex Catholicis, tum Theologi, tum Canonici iuris interpretes, eisdem temporibus, ac deinceps, è quibus precipui numerantur ij: Henricus Gandauensis, Bernardus, Hostiensis, Ioannes Monachus, Archidiaconus, Glossa, & alij; vt citant Adrian. in 4. de confessione, q. 5. Sot. in 4. d. 18. q. 4. 43. immò, vt Henricus Gandauensis quodl. 7. q. 2. 4. testis est, Parisijs conuocati fuerunt plures, quam duodecim Episcopi, & Theologi Doctores, & iuris Canonici interpretes, qui omnes vno ore docuerunt, priuilegia Mendicantibus concessa ad confessiones audiendas, intelligi, seruato iure, quod Parochi habent de audiendis semel in anno subditorum confessionibus: non quod ita desperent, vt Ioannes ille Poliacensis, vt Romanum Pontificem negaret posse eiusmodi priuilegia concedere, videlicet, ne confessi Mendicantibus, iterum ad confitendum Parocho adstringerentur: sed quod negare tam amplam facultatem eis à Romano Pontifice fuisse concessam: ergo ij Doctores de quæstione tantum facti, non iuris locuti sunt. Hæc de procellis contra Mendicantium Ordines concitatis.

Secundò quæritur, An Religiosos Mendicantes deceat munus, publicè docendi populum? Nam 17. q. 1. per multa capita iure communi Monachis interdicitur huiusmodi Magisterio? Respondeo cum S. Thoma opuscul. 19. cap. 2. & c. 10. & 12. olim Monachorum Ordines non fuisse institutos, vt ministeria Ecclesiastica obirent, sed vt solitariam vitam religiosè colerent: bene tamen Ordines Mendicantium, vt ipsi, qua possent opera, & diligentia Episcopos, & Presbyteros iuuant, defides præsertim, ac negligentes.

Tertiò quæritur, An fas sit Religiosis Mendicantibus concionandi munere fungi? Id ideo quæritur, quod hæc prouincia tantum est Episcopis, ac Presbyteris iniuncta: & Monachorum est, vt colligiur ex c. Alia causa 16. q. 1. pasci, non pascere. Respondet idem S. Thom. concionandi officium in Episcopis quidem, ac Presbyteris esse ordinariu, quo ratione sui muneris vtitur; in Religiosis verò esse extraordinarium, & quod priuilegio, ac facultate comissa, & demandata à Romano Pontifice exequantur, quodque quamuis initio Monachi non fecerint, postea tamen necessitate urgente, ac compellente, obire consuetudine, ac priuilegio ceperunt.

Quartò quæritur, An Mendicantium sit Sacramenta conferre? Occasio dubitandi est, quia, vt ex Decreto Gratiani, per multa capita constat 16. q. 1. ab hoc munere Monachi prohibentur. S. Thomas respondet opuscul. 19. c. 4. & c. 10. & 11. id Episcopis, & Parochis iure ipso, & ratione muneris conuenire: Religiosis verò priuilegio, & beneficio Romani Pontificis, pro necessitate, vel vtilitate Ecclesiarum.

Quintò quæritur, Cur Religiosi Mendicantes in studia literarum incumbant, cum olim Monachi solum quieti, silentio, solitudini, & contemplationi operam dederint? Respondet itidem S. Thom. locis citatis, & ca. 11. Mendicantium Ordines sese literis applicuisse: cum instituti fuerint, non tanquam Monastici Ordines ad solitariam vitam agendam tantummodo, sed ad salutem animarum procurandam, propagandam, augendam, conferuandam.

Sextò quæritur, Cur Mendicantes Religiosi in medijs oppidis, ac ciuitatibus sua ferè Cœnobita exeruant; ac proinde ciuium tumultibus exposita; cum tamen Monachi longè ab hominum cœtu, & frequentia remoti in agris, montibus, & solitudinibus sua Monasteria exedificauerint? Respondeo cum S. Thom. locis citatis, ideo Mendicantes in Ciuitatibus habitare, vt iuuent alios, & ipsi pariter eorum largitionibus adiuuentur, cū Christi causa omnia reliquerint. Monachorum verò proprium non fuit alios docendo iuare, aut se fundis, possessionibus, ac bonis stabilibus in comune abdicare.

Septimò quæritur, Cur Mendicantes viribus alioqui præditi, manibus minimè laborent; cum ex Augustino per totum librum de opere Monachorum, ex Basilij, item & Benedicti Regula, & cap. De præsentium 16. q. 1. manifestè constet olim Monachos manibus laborare consueuisse? Respondeo cum S. Thom. opuscul. 19. cap. 5. non idem iuris esse de Mendicantibus, quod de Monachis. Illi enim sunt instituti ad docendum, concionandum, conferendum Sacramenta, & proinde ad diligentem literis operam nauandam. Porro, qui spiritualia seminant, meritò, ait Apostolus, temporalia metunt, & qui altari seruiunt, ex altari viuunt: Monachi verò minimè.

Octauò quæritur, An liceat nobis omnia Christi causa relinquere? ita vt nihil proprium priuatum, aut communiter habeamus? Respondeo cum S. Thoma in opuscul. 19. cap. 6. non solum nobis id licere facere, sed magni esse meriti, & præmij apud Deum; ac multos Sanctorum id ipsum exemplo

1. Cor. 9.
Hebr. 13.

nos suo

nos suo docuisse. Nec est, cur quispiam opponat, eum se multis periculis obijcere, qui omnia relinquit, nil sibi referuando: qui enim propter Christum se suis bonis spoliatur, non se in pericula conijcit, cum spem in Deo ponat: is enim, cuius est omnium mentes, & corda, quod voluerit, flectere, piorum hominum charitatem in pauperes deesse non patitur. Neque verò calumniantium illa vox, Avari esse omnia retinere, nihil tribuere: Prodigum contra, sua omnia disperdere, nil sibi referuare, vllam vim habet. Nam qui ob Christi amorem, sua omnia in pauperes distribuit, nihil planè disperdit, nihil dissipat, quia quod pauperibus datur, Deus tãquam sibi datum, acceptum, & gratum habet. Neque huic bonorum abdicatione Dominica assidue petimus à Deo, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, hoc est, victum necessarium. Nam Dei ope, & auxilio freti omnia spontè deserimus, quoniam nihil deest timentibus eum. Et: qui iactans cogitatum suum in Dominum, enutritur ab eo.

Matth. 6.

Psal. 33.

Nonò quaeritur, An voluntaria mendicitas tuta conscientia propter Christum suscipi queat? Respondet S. Thomas, loco citato, mendicitatem spontaneam, quæ Christi causa eligitur, magni esse meriti, & fructus. Et ineptè quidam sacras Scripturas obijciunt tanquam mendicitatem improbantem; quippe quam Sapiens, Deum orans, deprecetur: Mendicitatem, inquit, & diuitias ne dederis mihi: nec enim sacræ literæ mendicitatem spontaneam, & in Dei cultum, & obsequium libenter susceptam improbarunt, sed mendicitatem coactam, & inuitam tantummodò. Et quamuis aliqui contendunt, Christum Dominum ex elemosynis mendicatis vicitasse, sicut etiam nudis pedibus incessisse: id tamen ex Scripturis non cogimur asserere: Nec Mendicantium Ordinum pertas hoc solo innititur, quod Christus semper mendicauerit, aut nudis perpetuò pedibus incesserit: sed in eo, quod licet ille aliquando loculos habuerit, & calceamenta portauerit, genus pro nobis factus est, ita ut dixerit: *Vulpes foueas habent, & volucres caeli nidus: Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.*

Ioan. 13.

2. Cor. 9.
Luc. 9.

Caput II.

Aliæ quaestiones de Mendicantibus Ordinibus diluuntur.

PRIMO quaeritur, An Priuilegia Mendicantibus concessa ad confessiones peccatorum audiendas, ad conciones habendas, & ad seculares homines ad Diuina officia, in ipsorum templis diebus Dominicis, ac festis admittendos, & similiter ad eos recipiendos ad Sacramenta, & sepulturam, quam elegerint, sint abrogata? Respondeo, nequaquam esse dubitandum, quin pro varietate temporum, ac rerum diuersa fuerint Mendicantibus ab Romanis Pontificibus data Priuilegia. In primis Gregorius IX. anno Domini 1238. Constitutionem edidit, qua omnibus Ecclesiarum præfectis præcipit, ut Mendicantes rem diuinam facere, conciones habere, ac sacras peccatorum Confessiones audire liberè permittant: nihil a-

liud de hac re statuit. Eandemque Constitutionem innouauit Innocentius III. anno 1245. qui tamen postea prohibuit ab his omnibus ministerijs Mendicantes. Sed hanc prohibitionem sustulerunt per Priuilegia Dominicanis concessa Alexander III. anno Domini 1255. & Urbanus III. & Clemens III. anno 1265. & hi tres Pontifices constituerunt, ut confessi Mendicantibus nulla ratione cogentur eadem peccata Parocho confiteri. Sic enim dicitur in extrauag. Ioannis XXII. *Vas electionis, De Hæres. & Schismat.* Eademque Priuilegia, sed restrictè, & angustè cõfirmavit Bonifacius VIII. Constitutione, quæ sic incipit: *Super Cathedram Moysi*, quæ ad verbum continetur in Clem. Dudum, De sepult. & eam postea abrogauit Benedictus XI. Constitutione, cuius initium est, *Inter cunctas, & habetur inter extrauag. communes, De priuil.* vbi ampliora facit Priuilegia Mendicantium, quæ Bonifacius restrinxerat. Ioannes XXII. in prædicta Constitutione, *Vas electionis, inter communes, De hæres. & schismat.* Ioannem vulgò dictum de Poliano, cuius supra mentionem habuimus, condemnauit; & deinde constituit, ut confessi Fratres Mendicantibus minimè compellerentur vi legis, aut Canonis confiteri denud Parocho peccata; id quod ante Bonifacium definierat Alexander III. & Clemens III. ut in ea Constitutione refertur. Verum Sixtus III. videtur hæc omnia reuocasse in Constitutione sic exordiente: *Vices illius, quæ habetur inter extrauagantes communes de Treuga, & Pace*: vbi propter controuersias inter Mendicantes, & Parochos Ecclesiarum præfectos in Flandria, & Germania excitatas, Pontifex imperat, ne deinceps Parochi dicere audeant, à Mendicantibus hæreses exortas fuisse, cum verè fides, ac religio Christi sit illorum opera aucta, & propagata, & Ecclesia illustrata. Ne item Fratres, & ipsi Mendicantes in posterum doceant, Parochianos non teneri ad rem diuinam audiendam in suis Paroecijs diebus festis, atque Dominicis: cum sit iure decretum, hisce diebus Parochianos ad id obligari. Nec similiter in posterum doceant Parochianos non obligari ad peccata confitendam proprio parocho, saltem in Paschate, cum id præstare iure debeant. Hæc ille Pontifex ferè ad verbum. Vi huius Constitutionis nostra etiam extat in Flandria, Gallia, & Germania lites, & dissidia vigent inter Mendicantes Fratres, & Ecclesiarum rectores; his contententibus, rem diuinam diebus festis, & Dominicis debere in Paroecijs Parochianos audire, & quotannis semel in Paschate peccata suis Parochis confiteri; contra verò Mendicantibus oppositum dicentibus; inde nimirum arguentibus, quod post Sixtum III. Priuilegia à Leone X. Paulo III. Pio III. Pio Quinto, Gregorio XIII. per multa impetrauerint, quibus liberè cõceditur, ut in ipsorum templis quilibet rem diuinam diebus etiam festis, ac Dominicis audiat: & similiter, ut Mendicantes possint liberè confessiones peccatorum excipere, ita ut confessi Parochiani Mendicantibus compelli nequeant ad eadem peccata iterum suis Parochis confitenda.

Sed obijciat quispiam Constitutiones Synodales, immò etiam consuetudines moribus hominum comprobatas, quæ alicubi locorum extant,

quibus

quibus præcipitur, aut certe fit, ut Parochiani diebus festis, ac Dominicis in suis Parochijs rem diuinam audiant, concionibus intersint, Sacramenta suscipiant. Respondeo, eiusmodi Constitutiones, nec derogare debere, nec posse Pontificijs priuilegijs auctoritatem. Neque enim Ordinarij, Romanorum Pontificum facultatem impedire queunt, cum inferior potestas in Superiorem ius, & auctoritatem nõ habeat. Vnde Parochiani harum vi Constitutionum coguntur quidem suis Parochijs adesse, sed absque vlla Pontificij priuilegij abrogatione, & iniuria, & nisi aliunde exculentur, ratione priuilegiorum, quæ Romanus Pontifex Mendicantibus concessit. Præcipiunt itaque Ordinarij, ut id seruetur & fiat, quod ius commune fieri iubet: & consuetudines locorum, si quæ sunt, Pontificijs priuilegijs abrogantur, quibus dicitur: *Non obstantibus consuetudinibus.*

Deinde obijcies ex eodem Concilio Trident. Sess. 24. de reformatione, cap. 4. vbi habetur: *Moneat Episcopus populum, diligenter teneri vnumquemque Parochia sue interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendam verbum Dei.* Respondeo, Concilij decretum id continere, quod alioqui ius commune statuerat. Ius autem commune seruare oportet, nisi vbi quis ab eo eximitur Principis beneficio, & priuilegio.

Secundò quæritur, An duo illa priuilegia Romani Pontificis Mendicantibus concessa, ut liberè possint Laicorum confessiones audire, eoque admittere ad rem diuinam in suis templis audiendam diebus Dominicis aut festis, eo sensu intelligantur, ut laici eis peccata confessi, Ecclesiastico præcepto satisfaciunt de confitendo semel in anno proprio Sacerdoti, iuxta Canonem: *Omnes vtriusque sexus, de penitentis & remissis.* item præcepto de re diuina audienda in parochia Dominicis & festis diebus?

Hæc quæstio atque controuersia quamuis recentis abhinc annis bis teruè agitata inter Fratres Mendicantes & Parochos Ecclesiarum rectores, definita iam, & proinde sopita penitus, & extincta esse videretur; nostra tamen ætate alicubi locorum excitata denuo, quasi repullulauit, ac reuixit. Sunt enim parochi, qui docere audeant, huiusmodi priuilegia non ita esse accipienda, ut laici præcepto satisfaciunt, sed tantummodo, ut liberè, cum rem diuinam spontè audiunt, aut peccatorum confessiones faciunt solius pietatis studio, id facere possint apud Mendicantes. Nihilominus confiteri semel in Paschate suo parochi ac rem diuinam audire in parochia dominicis aut festis diebus debeant, ut sic quærent legem Ecclesiasticam seruent ac impleant: quod illi multis argumentis concludere conantur. In primis cap. placuit, De penit. dist. 6. ex Urbano secundo statuitur. *Deinceps nulli Sacerdoti liceat quem libet commissum alteri Sacerdoti ad penitentiam suscipere sine eius consensu, nisi ob ignorantiam illius.* Vbi Glossa: *Vt secularibus, qui aduent ad inclusos pro penitentia, & non vbi audiunt diuina per annum.* Martinus Quintus post omnia decreta Romanorum pontificum antecessorum, quæ superiori quæstione retulimus, in Constitutione, quæ incipit: *Ad vberes fructus*, ab Adrian. 4. de Confess. q. 5. citata, manifestè ait: *Volu-*

mus, ut ij, qui Fratribus confitentur, suis parochialibus Sacerdotibus semel in anno confiteri teneantur, ut Generale Concilium statuit. Sixtus item Quartus, Martino Quinto posterior in Constitutione, quæ incipit: *Vices illius, & habetur inter extravagantes communes. De treuga, & pace. præcipit, ne Fratres Mendicantes prædicent, Parochianos non teneri audire Missam in Parochijs, diebus festis & Dominicis, cum in re sit cautum, illis diebus eos teneri ad audiendam Missam in parochiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ea ab sint: ut que predicare desistant, Parochianos non obligari, saltem in Paschate, proprio Sacerdoti confiteri, cum ad id iure teneantur.* Sic Pontifex: Et Maior in 4. d. 17. q. 6. refert Sixti Quarti temporibus quendam Fratrem vocatum Ioannem de Angelo, Tornaci aliquas propositiones publicis concionibus defendisse, quarum vna erat: *Parochianus fratrib. confessus satisfacit Decreto Omnis vtriusque sexus, nec præcepto cogitur confiteri proprio parochi semel in anno, nec ab eo facultatem petere.* Quæ, inquit, propositio ad nostram Parisiensem Academicam missa, cum uni consensu omnium Theologorum iudicata est scandalosa, iuri contraria, & pro subditorum ad suos Rectores debita obedientia & reuerentia, publicè reuocanda. Hæc ille.

Accedit: quod multi Iuris Canonici interpretes hoc idem senserint, Hugo, Bernardus, Hostiensis, Archidiaconus, & Glossa. in c. Omnis vtriusque sexus, de Penitent. & remissis. necnon & Theologi, Alexand. part. 4. quæst. 19. m. 1. art. 3. Bonauentura 4. d. 17. art. 5. quæst. 2. Henricus quodl. 7. quæst. 24. & Angelus Confess. 3. quæst. 33. expressim docuerunt, cum generatim facultas conceditur, ut Concionatores liberè queant laicorum confessiones excipere; intelligitur, seruato semper parochi iure. Hoc idem tradit Angeli Scholiasies Franciscanus, Bonau. sententiam secutus. Adde, quod priuilegium principis, quamuis cum est præter commune ius sit latè & amplè interpretandum l. Beneficium. ff. De Constitutionibus: attamen cum iuri communi derogat, accipiendum est strictè, & presè, salua, & integra, quantum fieri potest, iuris communis auctoritate. Et hinc est, quod in cap. Pastoralis, De Prim. dicitur, ut Religiosi, quibus à Romano pontifice concessum est, ut Ecclesias sibi subiectas possint in proprios vsus convertere, id non faciant propria auctoritate, sed per Episcopum loci: quia per indulgentiam huiusmodi Episcopali iuri non credimus derogari, & cap. cum olim de Consuetud. habetur: *Cum aliquid cupiam tributur, intelligitur, illi esse iure alterius: cap. Ex tuarum, De auctoritate & vsu pallij, Romanus pontifex dat facultatem Archiepiscopo vtendi pallio, non tamen vult, ut eo vtatur cum detrimento, & damno Ordinarij: quod ipsum quoque colligitur ex cap. Licet, De Translat. Episcoporum. & ex cap. Licet, De Offic. Ind. Ordin. Romanorum pontificum priuilegia, & decreta, ne confessi Fratribus Mendicantibus Confessiones repetere debeant coram parochis, non eam vim habent, ut hoc ipso illi eiusmodi præcepto satisfecisse videantur. Fatemur, inquit, non esse has confessiones iterandas ratione Sacramenti, ac si irritæ fuerint: hoc enim est, quod damnat Ioannes XXI. in Constit. Vas electionis. De Heret. & Schismat. & Benedictus XI. in alia, que incipit: *Inter cunctas*: sed faciendæ sunt peccatorum confessiones ratione præcepti Ecclesiastici, quia iubet Ecclesia singu-*

los semel in Paschate suo parochos confiteri. Et tunc non necesse est, ut omnia peccata, quæ sunt antea confessi, repetant, sed ea duntaxat, quæ voluerint; nisi post eas confessiones alia commiserint. Ea enim integrè confiteri oportet. Item, cū Romanus Pontifex dat Mendicantibus facultatem confessiones laicorum audiendi, solum eos approbat tãquam idoneos, ut ad eos possit parochus subditos mittere: sicut cū Episcopus in sua diocesi multos Sacerdotes approbat, ut habiles & idoneos, eis potestatem non facit audiendi confessiones in sua diocesi sine cõsensu parochorũ, ac ut parochus ipse subdito facultatem concedens confitendi, cui voluerit, eam dare cõsetur, reseruata confessione annua coram se facienda. Quid etiam impedit, quo minus Romanorum Pontificum priuilegia intelligantur cõcessa Mendicantibus: dummodo parochi non contradixerint: nam etiam eisdem facultas datur, qua possint rem diuinam facere; & tamen intelligitur suppressa tacita conditio; Parochis minimè contradicentibus: datur facultas concionandi, & tamen suppleendum est, Ordinarijs concionem non habentibus, aut minimè reluctanti-

bus. Adde, quod omnia priuilegia hæcenus Mendicantibus data, ut possint laicis Eucharistiæ Sacramentum suis in templis ministrare, semper exceperunt communionem in Paschate, ad quã quilibet in sua parochia communi iure compellitur: nimirum, ut ius parochi integram seruetur. Ergo idem est de annua confessione dicendum. Præterea in l. Si domus, ff. De seruitutibus vrbano, prædicto, habetur: *Cum ex duobus seruitutibus vna remittitur, non continuo altera tollitur: Ut si dedero tibi facultatem altius attollendi ædificium tuum, non propterea facultatem do impediendi, ne stillicidia mea cadant in ædificium tuum. In generali item confessione non videtur tribuere Princeps, quod speciatim non fuerat concessurus, si in mentem eius venisset, ff. De Peculio, l. Qui peculij, & l. Obligatio, ff. De Pignoribus. Item, c. Peruenit, l. q. 1. ex Gregorio l. habetur: *Si sua vnicuique Episcopo inuisiditio non seruatur; quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus Ordo custodiri debet, confundatur? Postremò Proverb. 27. dicitur: Diligenter agnosce vultum peccatoris tui, tuosque greges considera. Inferunt istis; ergo debet parochus confessiones subditorum audire. Item, Parochus curæ ouium Christi sibi commissæ debet rationem reddere; ac in Paschate diuinum eis Eucharistiæ pabulum ministrare: opus igitur est, ut agnoscat, quæ sint oues ad eam admittendæ, quæ ab ea repellendæ. Atq; hæc quidem parochi Fratribus Mendicantibus obiectant.**

Ijs tamen nihil obstantibus, dicimus, duo illa Mendicantium priuilegia, eo sensu intelligi, ut laicivtrique Ecclesiastico præcepto satisficiant. Nam in Concilio Lateranensi, sub Leone X. sess. 11. extat Constitutio ita incipiens: *Dum intra, vbi manifestè statuitur, Fratres Mendicantes legitime ab Ordinarijs approbatos, posse externorum confessiones audire, ita ut qui ipis fuerint confessi, prædicti iuris constitutioni, Omnis vtriusque sexus, satisfecisse censeantur. Idem Leo X. ut habet in Supplemento Priuilegiorum concessio, nu. 20. & refert Nauarr. in Manual. c. 28. non. 5. sic statuit:*

Auctoritate apostolica tenore præsentium notum facimus, omnes Christi fideles vtriusque sexus, qui non contempto proprio Sacerdote parochiali, in Ecclesijs Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis, & alijs festis diebus Missas audiant, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, penamque propterea incurrare. Sic ibi: Cùm autem Leo X. fuerit Martino V. & Sixto IV. longè posterior, sequitur, ut quicquid sit de illorum Pontificum Constitutionibus, standum sit Leonis X. decretis, siquidem post huiusmodi decreta nihil aliud est ijs contrarium constitutum. Neque officit, si dixeris Leonis X. Constitutiones non esse vbiq; receptas: nam ex duæ Constitutiones, sunt priuilegia Mendicantibus concessa, & cùm abrogata non sint, vim vbiq; habere queunt, nec eam amissile, sed adhuc retinere meritò censentur. Accedit, quod, Leo X. declarauit. Minus item obstat, quod quidam Parochi contendunt, suis in Parochijs esse consuetudinem diuturno vsu receptam, ut laici semel in Paschate suo parochos confiteantur, & diebus Dominicis ac festis in parochia solemnibus Missarum sacrificio intersint: quippe talis consuetudo nihil aliud est, quàm iuris communis cõfirmatio; quare sicut ius commune locum habet, vbi Romani Pontificis priuilegia ei nihil derogant: sic etiam consuetudo intelligi & explicari debet, nisi Laici Pontificis priuilegijs excusentur. Accedit, quod consuetudo non excludit, ac prohibet, quo minus laici ad Mendicantes accedant confitendi, & rem diuinam audiendi gratia, sed solum habet, ut parochos confiteantur semel in Paschate, & in parochia diuini intersint: Sed qui vnum affirmat, aut ponit, non continuo alterum negat, aut tollit, nisi id exprimat. Illud etiam nil impedit, si dixeris Constitutiones alicubi extare synodales, quibus præcipitur, ut laici semel in Paschate suo parochos confiteantur, & rem diuinam in parochijs audiant. Etenim huiusmodi Constitutiones ius tantummodo commune confirmant: quare iuxta commune iuris intelligentiam intelligi, ac declarari debet. Nec verò Episcopi, & alij Ordinarij Pontificia abrogare priuilegia, aut restringere vilo modo queunt; cùm inferior potestas in Superiorem non habeat auctoritatem. Vnde Antonin. p. 2. tit. 9. c. 10. Siluest. Missa, 2. q. 5. Tabien. Miss. q. 51. Nauarr. c. 21. nu. 5. testantur eas Constitutiones, Synodales inquam, quatenus Pontificis priuilegijs repugnãt, nullius esse firmamenti. Adde, quod Adrian. 4. de confess. q. 5. Medina de Confess. q. 29. Maior 4. d. 17. q. 7. Sotus 4. d. 18. q. 4. a. 3. Nauarr. de Penitent. d. 6. c. placuit, n. 56. & seqq. & in Manual. c. 21. nu. 5. qui expressim de hac controversia disputarunt, aperte sentiunt, Laicos, qui ad Mendicantes confessionis faciendæ, ac diuinæ rei audiendæ causa accedunt, vtrumque Ecclesiæ præceptum seruare & implere. Ad extremum non est dubitandum, quin reuera illi præcepto satisficiant, quando parochi, vel negligentes, aut imperiti, aut rudes, & ignari, aut licentioris vitæ sunt: atque hoc perspicuè tradiderunt Alexander, Bonauentura, & Maior, supra citati. Deinde non est dubium, quin sicut ipse parochus & Episcopus talem facultatem dare possunt, Romanus etiam Pontifex cõcedere queat, cùm sit illis Superior: quæ-

stio autem

fitio autem facti est, de eam necne Mendicantibus: Certè eam dare censetur, cum Leo X. expressim declaret se illam facultatem dare, ita ut satisfaciant Ecclesiæ præceptis laici in Mendicantium Ecclesijs: licentes, aut percipientes diuina. Tandem quæ hæc uerba diximus, uera sunt, & nihilominus fratres docere publicè, aut concionari non debent, laicos non compelli iure ad confitendum Parocho semel in anno, nec ad rem diuinam in parochia audiendam Dominicis & festis diebus: quoniam etsi ratione Priuilegiorum ad eos tuta conscientia accedunt, iure tamè communi debent ad parochos & parochias suas adire. Et hoc est, quod Benedictus XI. & Sixtus IV. in suis Constitutionibus uoluerunt, nempe ut fratres moneant, & hortentur laicos ad sistendum se parochis: utrumque enim uerum est, & eos ad id communi iure compelli, & nihilominus ab ea obligatione liberari. Et sicut iure communi in c. 2. de Parochijs, præcipitur, ne quis contempto parochio, rem diuinam audiat extra parochiam diebus Dominicis & festis, sic etiam priuilegia fratribus mendicantibus concessa, hoc idem ius commune continent; nec enim priuilegium datur, ut quis suum parochum contemnat, sed ut absque contemptu parochi liberè possit in Mendicantium ordinum templis rem sacram audire. Nam Benedictus in Constitutione quæ incipit Inter cunctas, & habetur inter communes, de Priuilegijs, sic ait: *Ceterum licet, sicut prædicatur, de necessitate non sit, iurum eadem confiteri peccata, tamen, quia propter erubescenciam, quæ in igna est penitentia pars, ut eorumdem peccatorum iterum confitendo, reputamus salubre: districtè inuincimus, ut Fratres eos, qui ipsi confitentur, attemè moneant, & in suis prædicationibus exhortentur, ut suis sacerdotibus saltem semel in anno confiteantur, asserendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere.* De ceteris priuilegijs quæ sunt auctoritate & beneficio Romanorum pontificum Mendicantium Ordinibus concessa, alio in loco tractabo.

Cap. III.

De Militaribus Religiosis Ordinibus.

Primo queritur, Quinam Militares ordines intelligantur? Resp. eos omnes intelligi, qui tribus Religionis uotis adstricti, formulam aliquam uiuendi auctoritate Ecclesiæ approbatâ professi, cum hostibus fidei & religionis Christianæ bella siue naualia, siue terrestria committunt. In hocce Ordines tria solent hominum genera cooptari. Alij enim sunt uiri nobiles, qui tanquam quidam sacri milites instar Machabæorum, pro fide ac lege Christi cum Turcis & Saracenis fortiter dimicant: Alij uerò sunt Clerici, qui ad diuina mysteria obeunda recepti, in ipsorum Ordinum Collegijs, ac sacris ædibus commorantur in Choro, cantant diuinas laudes, Missarum sacrificia faciunt, Deum pro militibus precantur, & solent Ecclesijs præfici, ordini militari subiectis, aliquando etiam tanquam Cappellani, cum ipsis sacris equitibus in militia uersantur, ad eorum confessiones excipiendas, & rem diuinam faciendam & eis uenerabilem Eucharistiam impertiendam. Alij denique admittuntur ad domestica munera & ministeria exequenda, qui tum Clericis, tum militibus in-

seruiunt. Hi Ordines uocantur militares, quoniam sunt ad militandum instituti: Religiosi uerò, quod milites in hos ordines recepti, tribus se Religionis uotis obstringunt: Sacri, quoniam Regulam Ecclesiæ auctoritate approbatam profitentur, Deo tribus uotis deuincti & additi: ad diuincandum pro fide & auctoritate Christiana.

Secundo queritur, An Militares Ordines sint uerè, absolute, & simpliciter Religiones? *Sot. l. 7. de iust. q. 5. a. 3. ad 3. Sarm. l. de re iudic. Eccl. p. 4. c. 1. n. 13. Cou. in 4. lib. decret. de Matrim. p. 2. c. 3. §. 1. n. 18. prope finem, censent eos Ordines militares, qui Regulæ instituto, Castitatem tantummodo coniugalem profitentur, nequaquam esse simpliciter, uerè, ac propriè Religiones: bene tamen eos Ordines, qui absolute & simpliciter Castitatem Deo pollicentur. Vnde, inquit, militaris ordo eorum qui dicuntur Hospitalium S. Ioannis Hierosolymitani, est simpliciter religio: nam eius milites absolute castitatem uouent, nec matrimonio copulari utiue queunt. At Ordo eorum, qui dicuntur milites S. Iacobi in Hispania, non est propriè, & simpliciter Religio, eo quod huiusmodi Milites absque vlla Pontificis auctoritate, sed sola facultate à Magno Magistro impetrata, in matrimonio uxores habere possunt, quia Regulæ instituto, solum castitatem coniugalem promittunt. Id Sotus concludit ex eo, quod ad Religionis substantiam & naturam pertineat Castitas absolute & simpliciter uoto promissa, non autem sola Castitas coniugalis: Deinde quia S. Tho. 2. 2. q. 186. a. 4. aperte fatetur, eos uiuendi modos, in quibus homines matrimonio utuntur, non esse absolute & simpliciter Religiones, sed quadam ex parte, quatenus scilicet quædam habent, quæ ad Religionis statum pertinent. Accedit, quod huiusmodi militares Ordines, non Religiones, sed Ordines appellantur.*

Ceterum Nauar. in tract. de reddit. Eccl. q. 1. n. 55. & q. 3. n. 27. & n. 29. & conf. 21. de regularib. & conf. 23. eor. Fortunius Garfias in consilio edito pro militia S. Iacobi 2. p. 1. versic. Præterea, probant Milites S. Iacobi professos, & ceteros similes esse uerè & propriè Religiosos, eo argumento permoti quod huiusmodi sacri milites tria uota emittunt, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ sub Regulæ Ecclesiæ approbata, nimirum aut S. Augustini, aut S. Basilij, aut S. Benedicti. Deinde quia tales Ordines auctoritate Romani pontificis sunt approbati, & in ipso Pontificiæ approbationis diplomate absolute & simpliciter Religiones uocantur.

Sciendum est in presenti loco quæstionem nõ esse, an militares Ordines, quatenus continent Clericos ad Chorum & diuina ministeria admittendos, sint uerè & simpliciter Religiones, & Clerici professi uerè Religiosi; eo quod Castitatè simpliciter uerè cum paupertate & obedientia solèni uoto profitentur. Solum quæstio est, an sacri Milites sint uerè, & simpliciter Religiosi. Et Sotus quidem & alij libenter concedunt, Militarum Ordinum equites, qui ex Regulæ instituto non solum Castitatem coniugalem, sed Castitatem simpliciter pollicentur, esse uerè & simpliciter Religiosos, si simul etiam solemni uoto promittant paupertatem & obedientiam perpetuam. Abb. tamen in rub. de regular. cuius sententiam se-

quuntur Ang. religio. n. 1. Silure religio. 1. q. 1. Armil. religio. n. 3. Mandof. super regul. 3. Cancellarie q. 11. n. 3. manifeste docet Milites Hospitalarios etiam Hierosolymitanos, non esse proprie & strictè Religiosos, sed latè tantummodo. Quare difficultas huius questionis tota in eo versatur, An tum qui Castitatem coniugalem vnà cum Obedientia & paupertate, tum qui Castitatem simpliciter promittunt, sint verè Religiosi? Item, An milites, qui paupertatem non vouent, quamuis Castitatem simpliciter & charitatem promittant, sint verè & proprie Religiosi.

Deinde illud est etiam notandum, superioribus temporibus in Hispania duo fuisse in dubiū vocata: Vnū, An equites trium Militarū Ordinum, qui vocantur nomine S. Iacobi, Calatrauz & Alcantaræ, sine vlla Romani Pontificis auctoritate, sed solo magistri concessu vxores ducere & habere possent? hoc est, An ex Regula & instituto coniugalem solum Castitatem profiterentur? Alterum, An expediret, vt Romani Pontificis beneficio, Castitatis voto soluti, vxores ducerent, & matrimonio vterentur? Cumque horum trium Ordinum origo, & pontificia approbatio, eiusque diplomata & Annales diligenter euoluere, compertum tandem est, Clericos in Ordinem S. Iacobi admissos, instituto Regule Castitatem quidem simpliciter vouere, Milites verò Castitatem non simpliciter, sed tantum coniugalem; & ipsius Ordinis Constitutionibus prohiberi, eos sine Magistri consensu sibi vxores adiungere. At verò Milites Calatrauz, & Alcantaræ, sicut etiam Clerici in eos Ordines cooptati, ex Regula prescripto Castitatem simpliciter pollicebantur. Quare disputari coepit tunc temporis à viris doctis, prætare nec ne, Milites Calatrauz & Alcantaræ, cum deinceps professionem emitterent, coniugalem tantummodo Castitatem vouere more militum S. Iacobi. Et valuit multorum opinio, factius fore, vt eam Castitatem solum profiteantur in posterum Romani pontificis auctoritate ad id impetrata. De ea itaque re consultus Romanus pontifex, sua auctoritate constituit, vt Milites deinceps coniugalem solummodo Castitatem Regulam, profitendo, vouerent, ac proinde vxores possent ducere & habere, à Magistro Ordinis facultate impetrata. Ijs verò militibus, qui tunc temporis viuebant, & Castitatem simpliciter promiserant, priuilegium concessit, vt si vellent, vxores ducerent: eorum enim votum sua pontificia potestate relaxauit, vt sic omnem maiorum & plurium peccatorum occasionem præcideret. Nunc igitur Milites sine Iacobi, siue Calatrauz, & Alcantaræ, cum professionem emittunt, Castitatem tantum coniugalem pollicentur, & ex suis Constitutionibus non nisi Magistri consensu, vxores accipere queunt. Quare de hisce Militibus ac de similibus quæstio est, an sint verè, siue proprie & simpliciter Religiosi? Nauarrus quæstionem confundit, & promiscuè loquitur de Militibus, qui iuxta regulæ prescriptum Castitatem simpliciter spondent, & de ijs, qui coniugalem solum Castitatem profitentur: ac immerito sanè contra Sotum, & quosdam alios hinc, & illinc argumenta congerit ad probandum, omnes Milites Ordinum Religiosorum esse simpli-

ter Religiosos: quæ tamen argumenta mihi cerè non videntur Sotum omnino conuincere. Etenim negari non potest id, quod S. Thomas docet, posse Religionem ad militandum institui: & institutam eam, ac Romani pontificis auctoritate confirmatam, esse verè & simpliciter Religionem: ita tamen vt eam Castitatem profiteatur, quam Religionis natura & substantia postulat, nimirum castitatem simpliciter, & non solum coniugalem. Ipse enim S. Th. perspicuè tradit, non esse simpliciter Religiosos, qui matrimonio vtuntur: Nec est inficiandum, in Pontificijs literis, & Constitutionibus, Militares Ordines appellari Religionem simpliciter. Sed fortassis, hoc ideo est, quia constant Clericis & Militibus Castitatem simpliciter proficientibus: qui voto paupertatis & obedientiæ adstricti, in domicilijs, Conuentibus, siue Collegijs commorantur, ac viuunt, Abbatis siue Prioris, aut Magistri curæ potestatiq; subiecti. Sed quæstio est, an etiam Milites omnes Ordinum prædictorum sint simpliciter Religiosi? Item, quæstio non est, an sacri milites sint Religiosi, sed an sint verè & proprie Religiosi. Nec etiam Nauarrus firmè concludit, Milites esse verè & simpliciter Religiosos, ex eo quòd S. Iacobi equites, S. Stephani, Calatrauz & Alcantaræ Milites, S. Augustini, aut S. Benedicti Regulam, Cisterciensium more profiteantur. Nam profiteantur quidem Castitatem, sed non ita, vt Regula S. Augustini, aut Benedicti prescribit, sed eo modo, quo ipsorum Militarum Ordinum Constitutiones illam temperarunt atque mitigarunt. Vouent enim illi Castitatem tantum coniugalem; cum tamen S. Augustini Regula, vel S. Benedicti Castitatem simpliciter prescribat. At inquires: Quemadmodum votum obedientiæ, paupertatis, & pro varietate Religionum est arctius, aut laxius; ita votum quoque Castitatis potest esse maius & minus. Resp. idem iuris esse de voto paupertatis & obedientiæ, & de Castitatis voto, in hoc, quod sicut natura Religionis exigit, vt Castitas non tantum coniugalis promittatur, sed etiam castitas simpliciter: sic etiam requirit, vt Religiosus non sit sui iuris, sed alienæ voluntati subiectus, nec propriè sua voluntate, sed Superioris vtatur, quamuis obediendi usus, & proprijs vtèdè data facultas, pro varietate Religionum maior minorue, arctior, aut laxior esse queat. Nec item si Milites gaudent Religiosorum priuilegijs, & redditus annui ipsorum fidei & curæ commissi siue Commendæ, quas vocant, aliqua Beneficiorum Ecclesiasticorum priuilegia habeant, continuò sequitur, vt sint simpliciter Religiosi. Nam non idem est, Religiosum esse quod Religiosi priuilegijs gaudere: nec idem Beneficij Ecclesiastici priuilegio honorari, quod, Beneficium esse Ecclesiasticum. Non igitur sunt proprie & simpliciter Religiosi, qui tantum coniugalem Castitatem profitentur: aut qui iuxta regulæ professionem propriam habere queunt. Vnde etiam Clerici, qui tria quidem vota faciunt, Castitatis simpliciter, obedientiæ perpetuæ, & paupertatis, sed paupertatem ita laxam promittunt, vt iuxta suæ regulæ professionem propriam habere permittantur, non sunt verè & proprie Religiosi: quoniam in c. Cum ad Monasterium, de Stat. Monachorum, dicitur, sicut religioni per se, &

intrinsecus annexa est castitas, ita etiam abdicatio proprietatis: ergo non est simpliciter Religiosus, Clericus, qui iuxta Regulam suam professionem permittitur habere proprium: & ideo eius modi clericus iure communi capax est Beneficij secularis, & Ecclesiasticæ pensionis, cum tamen Beneficia secularia Regularibus Clericis, & contra Beneficia Regularia Clericis secularibus iure communi conferri nequeant. *c. cum de Beneficio, de preben. in 6. c. 2. de stat. Monach.*

Tertio queritur, An Milites S. Iacobi, Calatravae, & Alcantarae, & alij similes, qui coniugalem tantum Castitatem, cum paupertate & obedientia vouent, sint verè & simpliciter Ecclesiasticæ personæ? Quidam negauerunt tales esse, nec ut tales gaudere priuilegio Canonis, aut fori, verum si huic priuilegio potiantur, id solum habere Romanorum Pontificum beneficio, non autem aliunde. Id ita colligitur quia iure communi in Ecclesiasticam personam Digamia, aut Irregularitas ex homicidio contracta non cadit, sed hi Milites, aut equites, vi, & ratione instituti, & professionis suæ digami esse queunt: & cum ad nullos Ordines prouehantur ex hoc, quod bello iusto homines interimant, irregularitatem non contrahunt, qua sua munera obire, & ministeria exequi prouideantur, cum tamen Clerici homicide, irregularitate afficiantur, qua à suis Ecclesiasticis functionibus arcetur. Accedit, quod Ecclesiasticæ personæ sunt Beneficij & pensionis capaces; at Milites eiusmodi cum matrimonio utantur, beneficij & pensionis capaces iure communi non sunt.

Navarrus in tractat. de redd. Eccles. q. 1. monit. 55. c. 3. monit. 27. c. 29. c. 20. c. 23. de regularib. multis argumentis concludere nititur, eos Milites esse verè & simpliciter Ecclesiasticas personas, & tanquam tales frui priuilegio Canonis ac Fori; ita ut iure communi coram Magistratibus civilibus conueniri nequeant: quod eik, & dicitur priuilegium Fori: quodq; si quispiam manus violentas intulerit, in excommunicationem Canonis incurrat. Si quis suadente Diabolo, 17. q. 4. Nec obstat, inquit Navarrus, quod Digami esse queant, & quod bello hostes trucident: Siquidem id est illis concessum Romani Pontificis beneficio. Siluester in verbo, Ecclesiast. q. 5. ait Milites religiosos, quamuis matrimonio utantur, priuilegijs nihilominus Clericorum gaudere: & hoc ita docuisse Ioannem Lignano, & Bartholum: idem testatur de Militibus, qui vulgò de Spatha vocantur, & rubrae Spathe signum in pectore deferunt. Sine dubio Siluester intelligit Milites S. Iacobi. Sed Abbas in ca. quamuis, de decim. c. in Rub. de Regular. aperte docet Fratres S. Iohannis Hierosolymitani, qui sunt milites ad bella gerenda, Religionem professos, esse laicos, & tamè decimas percipere, quia sunt quasi Religiosi, insinuat tamen eos priuilegio Canonis, & fori potiri. in c. Canonica, de sent. excom. scribit Pötifex Magistro, & fratribus Hospitalis Hierosolymitani, vbi cõcedit facultatē, vt Prior, qui toti fratrum Cõuentui præest, possit absolueret fratres sibi subiectos in excommunicationem lapsos, eo quod manus violentas iniecerint in Clericum, vel in alium fratrem, nisi quando excessus fuerit enormis. Glossa & Archid. in c. quisquis 17. q. 4. ten-

tiunt priuilegio Canonis gaudere Templarios Hospitalarios.

Verum enimverò tota hæc controuersia potius est nominis, quàm rei. Nauarr. enim *locis citatis*, conterdit, Milites Clericorum priuilegijs & immunitatibus potiri, eo quod sint verè & simpliciter Religiosi, & proinde Ecclesiasticæ personæ. Alij verò negant eos, cum non sint simpliciter Religiosi, Ecclesiasticas esse personas; nisi alioqui quatuor Minoribus Ordinibus initiati, aut certè Clericorum tonsura insigniti fuerint; prærogatiuis tamen Clericorum frui, Romanorum pontificum concessu. Mihi certè iuris videtur esse, eos milites, qui coniugalem promittunt tantummodo castitatem, Clericorum immunitatem habere, in ijs, quæ Romani tribuere Pontifices, in ceteris non item. Non solum enim illi arma tractant, amictu laicorum vtuntur quamuis Crucis signo notato, Clericorum demum tonsura carent; verum, & in iulis & Curijs Principum versantur, & degunt, in suis domibus habitant, vxores ducunt, filios procreant, & familiam administrant. Milites verò ordinum quales sunt hospitalenses S. Iohannis Hierosolymitani, & ceteri similes, qui vnà cum paupertate & obedientia Castitatem simpliciter proficuntur, cum strictius & proprius sint Religiosi, magis Ecclesiasticæ personæ censentur, & tanquam tales Clericorum priuilegijs honorantur: quamuis in ijs, quæ pertinent ad iuris Canonici poenas, Clericis minimè omni ex parte æquiparentur.

Quarto queritur, An iura annuorum reddituum, quæ Militarium Ordinum equitibus commẽdata ad vitam conferuntur, & passim Commendæ vocantur, sint verè & simpliciter Ecclesiastica Beneficia, ita ut nomine beneficiorum intelligantur in iure communi, & ipsi milites, quibus commendantur, nomine Beneficiariorum significentur? Nau. in tract. de redd. Eccle. q. 3. mon. 27. ad fin. c. q. 1. monit. 55. nu. 6. talia esse opinatur, eo in primis argumento, quod sint redditus annui, qui ex decimis Ecclesiasticis colliguntur. Deinde, quia nequeunt nisi Militibus ipsius Ordinis Regula professis, ipsulq; Ordinis habitum gestantibus. cõcedi: Nec eiusmodi redditus cõferendi ius habet, nisi Magister Ordinis, vel is, qui totius Ordinis administratione fungitur. His accedit, qd his redditibus Beneficiariorum priuilegia cõceduntur. Sicut, n. liberi à tributis, & alijs oneribus, quæ solent principes bonis & rebus ciuium imponere: nec ex ipsis Milites decimam partem fructuum soluunt Ecclesijs, præterquam suis Ordinibus. Postremò, quia in his annuis redditibus conferendis, permutandis, & dimittendis potest aliquando Simonia committi: vt si pecunia, vel aliquid aliud pecunia æstimabile detur, vel accipiatur pro ipsis: & nomine Beneficiariorum appellantur Prioratus, Præceptorat. Alij verò cenent, dictos redditus annuos Militibus commendatos ad vitam, nequaquam esse Ecclesiastica beneficia, eo quod Beneficium Ecclesiasticum, sit ius percipiendi fructus, ex bonis Ecclesiæ, ob ministerium, & munus diuinum, ob aliquam administrationem sacram: at Militibus non datur huiusmodi redditus ob munus aliquod Ecclesiasticum, quo funguntur, sed ob militiam in qua se strenuè & religiosè exercent. Nam huiusmodi

redditus annui commendantur militibus religio-
sis, vt bona, ex quibus percipiuntur, administrēt,
conferunt, & tueantur, tanquam bona ipsorum
Ordinum, ne pereant ex toto, vel ex parte. Item
Beneficium Ecclesiasticum est cum præcepto, &
& lege Officium diuinum persoluendi, & Cleri-
corum vestem & habitum deferendi: requirit et-
iam, vt minimum, primam Clerici toturam: nec
confertur homini coniugij vinculo adstricto: cū
tamen nihil horum huiusmodi redditibus conue-
niat. Nec satis est, si ex decimis sint detracti, &
sint fructus ex bonis Ecclesiæ percepti: quoniam
etiam portio, quæ ex bonis Ecclesiæ datur alicui
ob munus docendi grammaticam Clericos, aut
pulsandi cymbali, aut aperiendi, claudendiq; tē-
pli ianuas, nequaquam est Beneficium Ecclesi-
asticum, cū id minimè conferatur ob munus, &
functionem sacrā. Nec sufficit, si ea priuilegia ha-
bere videantur, quæ sunt beneficijs Ecclesiasticis
cōcessa: quia cū sint redditus & fructus, qui ex
bonis percipiuntur, gaudent quoq; priuilegijs, q̄
bonis Ecclesiasticis cōueniunt: sunt enim ipsarū
Militarium Religionū bona, & proinde sunt Ec-
clesiastica bona, hoc est, sacris religionibus dedi-
cata, ad onera religionis Militarium Ordinū
sustinenda. Mandol. *Com. super reg. 3. Cancell. q. 11 n. 3.*
ait: *Isti milites Hierosolymitani, & similes non dicuntur
proprie Beneficiarij, nec proprie religiosi.*

Annotandum est, Militaribus Ordinibus pia
munificentiā & largitione principum, & libera-
li aliorum hominū donatione tributa esse, ac da-
ta bona plurima, ex quibus Romani aliqui Pon-
tifices portiones quasdam detraxerunt, & Ec-
clesiastica beneficia constituerunt. Magistri itidem
Ordinum, vt alij quoque primarij milites Com-
mendatarij ex fructibus suorum reddituum Ec-
clesias aliquas fundarunt, & dotarunt; aliquas præ-
terea, communi omnium consensu, Magistri, &
Milites fundarunt, & dotarunt ex communibus
Ordinis bonis.

Sunt item hisce Ordinibus multe Ecclesiæ Ro-
manorum Pontificum auctoritate in perpetuum
adiunctæ, & annexæ; quibus omnib. Ecclesijs præ-
ficiuntur Clerici ipsorummet Ordinum militariū.

Inter omnes conuenit, huiusmodi redditus an-
nuos Ecclesiasticos, qui tanquam debita alimen-
ta & stipendia Ordinum Clericis conferuntur,
esse verè & simpliciter beneficia ecclesiastica,
quoniam sunt iura percipiendi fructus ex bonis
Ecclesiæ ob ministerium Ecclesiasticum quo ipsi
Clerici inseruiunt Ordinū Ecclesijs, quibus præ-
sunt, quarumq; Rectores sunt, aut Præpositi, aut
Vicarij, aut Priores, aut Parochi, aut Cappellani
vocati. nec huiusmodi Clerici, cū Religiosi sint,
Beneficiorum secularium capaces sunt.

Caput igitur quæstionis est de annuis reddi-
tibus, qui ad vitam commendantur ordinum Mili-
tibus: qui dicuntur Commendæ, cū tamen cæ-
tera Beneficia, quæ Clericis professis dantur. Be-
neficia verè, & proprie appellantur. De prædi-
ctis igitur Commendis, illud compertum esse
mihi videtur, eos redditus ex parte Beneficiorū
priuilegijs potiri, cū sint fructus ex bonis Ec-
lesiæ collecti. Sed in iure cōmuni appellatione be-
neficiorum Ecclesiasticorum non intelliguntur,
quoniam quamuis sint Ecclesiastica bona, non ta-

men dātur, vt beneficia Ecclesiastica, ob ministe-
rium Ecclesiasticum: nam pensiones etiam Bene-
ficijs impostæ, sunt bona Ecclesiastica, non autē
beneficia. Nec satis est, ea dari non posse, nisi ab
Ordinis Magistro, nec alijs præterquam Religio-
sis ipsius Ordinis militibus: quoniam cū sint bo-
na Religionis, aliter conferri nequeunt nisi Reli-
giosis, & ab eo, qui toti Ordini Militum præest.
Accedit his, quod in ipsis Militaribus Ordinibus
Commendæ (vt vocantur) distinguuntur à Bene-
ficijs ipsorum Ordinum: & ad Beneficia Clerici
professi eliguntur & promouentur: Commendæ
militibus committuntur. Item, pari ratione, ipsi
Milites, quibus commendantur, potius mihi vi-
dentur obtinere ministeria, officia, & administra-
tiones, quàm beneficia Ecclesiastica: non secus,
ac ipse etiam Magnus Ordinis Magister potius
censetur dignitatem, administrationem, & offi-
cium, quàm beneficium Ecclesiasticum habere.
Cæterum negari non potest, quin nonnulli eius-
modi redditus annui, nomine etiam Beneficio-
rum appellantur, nimirum Prioratus, Præcepto-
riæ, quales Militaris odro S. Ioannis Hierosoly-
mitani per vniuersas Christiani nominis provin-
cias obtinet. Quo autem modo Simonie lites cō-
trahatur in his conferendis, acquirendis, permu-
tandis, deponendis, inferius declarabo. Testatur
Iacobus Bossius in *hist. Ordin. S. Ioan. p. 2. l. 14.* Innocen-
tium 8. priuilegium Ordini S. Ioannis Hieroso-
lymitani dedisse: in quo dicit se nunquam datu-
rum prioratus, Commendas, aut Beneficia Ordini-
nis, quamuis in Curia Romana vacent: relinquit
liberam facultatem Magno Magistro Ordinis.
qua ea conferat; declarat eosdem prioratus, Cō-
mendas, & beneficia in reseruacionibus Pontifi-
cij non comprehendi. Idem priuilegium confir-
mauit Pius IV. in *const. que incipit. Circumscripta Romani
Pontificis.* Vnde in *regula 3. Cancellor. sic habetur: Refer-
unt etiam Prioratus, Præposituras, ac alias Dignitates Con-
uentuales & Præceptorias Generales quorumvis Ordinum,
sed non Militarum.*

Quintò quæritur, An saltem ij Regulares, qui
Commendatarij dicuntur nomine S. Spiritus in
Saxia, vel S. Antonij Viennensis, in Gallia, & ex-
tra Galliam, sint Beneficiarij, & beneficia habere
censeantur? Nauarrus de *regul. const. 70.* docet e-
os esse Beneficiarios simpliciter, & annuos reddi-
tus, quos habent, esse simpliciter beneficia. Certè
alia ratio est de his, atque de redditibus annuis
qui commendantur equitibus Militarum Ordini-
num; nam hi non sunt Ecclesiastica auctoritate
tales redditus facti, vt in beneficia transferint:
Sed sunt bona ipsarum religionum militarium,
quæ vt conferuntur & augeantur, commendan-
tur Militibus professis, qui ea administrant, tuean-
tur, & curent, & ex ipsorum fructibus commode
sustententur: at redditus annui, qui non commen-
dantur nisi Clericis S. Spiritus in Saxia, vel S. An-
tonij Viennensis, videntur tales esse, vt transfe-
rint in beneficia Regularia, & proinde Manua-
lia Clericis professis dari solita.

Cap. IV.

*Alia quæstiones de eadem re dissol-
uuntur.*

Primò queritur, An Milites Commendatarij habeant titulum reddituum annuorum, quos habent, an verò solum habeant eos redditus commendatos suæ fidei, & curæ? Ex vna parte non videtur titulum habere, quia ipsis huiusmodi redditus commendantur. Ex altera parte si titulum non habent, colligitur, ut nihil inde accipere queant, nisi quod est necessarium ad victum & quod superest, restituere debeant Religioni, & rationem reddere suæ administrationis, & curæ. **R**espondeo, eos titulum non habere: nam appellatione tituli in hac parte intelligitur domini, vel quasi domini; ac cum Milites solemniter voto sint paupertatis professi, dominium non habent; æquiparantur tamen ijs, qui dominium, vel quasi dominium, hoc est, titulum habent, quoniam de fructibus, quos percipiunt, statuunt, quod volunt superiorum permisso, & certam pensionem quotannis Ordini soluunt, maiorem, minoremque, prout ab illis exigitur, ac proinde eos fructus, dum viuunt, liberè dispensant. Olim cum Militares Ordines religiosi sunt instituti, Milites omnes, uti Religiosi in Conuentu communiter vivebant, & inde ad bella procedebant: paulatim est vsu introductum, ut Militibus certa religionis bona committerentur, quæ sua cura, & diligentia administrarent, & idcirco extra conuentum viuere cœperunt singuli, ut bona sibi commissa curarent: deinde consuetudine etiam obtentum est, ut alij quoque Milites, qui Commendatarij non sunt, extra Conuentum commorarentur expresso, vel tacito Magistri consensu. Et his permisso est, ut viuant ex bonis, quæ à parentibus, vel fratribus, vel cognatis, propinquis, vel amicis, vel alia ratione habent. Principio verò non quibuslibet bona Religionis administranda committebantur, sed senioribus, antiquioribus, & ijs, qui vel erant iam emeriti Milites, vel ad Militiam inepti ob ætatem, vel incommodam valetudinem. Item, committebantur tunc temporis, hæc bona religionis ea ratione, ut eiusmodi Milites ex ipsis bonis victum tantum sibi necessarium perciperent, ac reliquum Religioni conferrent: & ideo suæ administrationis rationem reddere cogebantur: sensim inuectus est vsus, ut Milites commendatarij certam portionem ex fructibus religionis referuerent, & reliquum impendant in vsus bonos, quos voluerint. Immo quidam eorum, vsu quoque recepto, tantum in charta describunt quotannis, & ostendunt Magistro, quid possident. In his omnibus Milites votum Paupertatis, quod faciunt, non violant, aut frangunt, dum annuos redditus commendatos possident ad nutum, & voluntatem Magistri, vel alia bona habent aliunde, ex quibus viuunt, & sustentantur, & que in bonos vsus infundunt superiorum permisso. Nam religiosi professi pari ratione beneficia regularia habent, ex quibus fructus percipiunt, sed ea beneficia sunt Manualia, hoc est, nutu Superiorum conferuntur, retinentur, & repeti iure queunt. Et hinc est, ut beneficia regularia, quamuis religiosi voto Paupertatis adstricti dentur, non solum commendari, sed etiam vna cum titulo, aut quasi titulo dari dicantur, quia reuera licet ijs, quibus dantur, dominium Beneficiorum non habeant, liberam tamè administra-

tionem & vsum accipiunt, & possident ad nutum superiorum, unde superiores cum ea Beneficia dant, promissè vtuntur verbis iuris. *conferimus, Institutimus, quibus verbis titulus significatur: & verbis, commendamus, committimus, quibus nullus titulus designatur, quoniam solum dant administrationem, & vsum, qui penè titulo æquiparatur.* Sic dari solent, quæ vocantur Commenda Sancti Spiritus in Saxia, & S. Antonij Viennensis in Gallia, ut testatur Nauarrus *Consil. 70. de Regularibus, & alia, quæ in administrationem collatæ appellantur quoque vsu Romanæ Curie in ipsis Pontificijs constitutionibus Præceptoræ, hoc est, Administrationes: ij verò, quibus commendantur, Commendatores, aut Commendatarij, aut Præceptores dicuntur, eo quod eos redditus, & bona administrēt, & eorum fructus dispensent.*

Secundò queritur, An Milites in emittenda professione comprehendantur in Decreto Concilij Tridentini *Sess. 25. cap. 15. de Regular. vbi statuitur, ut in quacumque religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum in Probatione steterit, ad professionem admittatur: & tamen in Militaribus Ordinibus solent Milites ad professionem admitti, statim atque decimum tertium annum excefferint, & ante integrum probationis annum impletum.* **R**espondeo Milites Sancti Iacobi in Hispania, Calatrava, & Alcantara, & cæteros, qui more ipsorum conjugale tantummodo Castitatem pollicentur, eo Concilij decreto non contineri, quia ut nuper indicauimus, non sunt verè, & simpliciter religiosi, ergo eorum professio non est verè, & simpliciter religionis professio. At verò quidam existimant, ad Milites S. Ioannis Hierosolymitani, & cæteros, qui instar eorum Castitatem simpliciter vnà cum Obediētia, & Paupertate, & regula approbata profitentur, Concilij Decretum extendi, cum sint verè, & propriè religiosi, ac verè religionis professione emittant. Sed Cardinaliū Congregatio Romæ declarauit, Caput hoc, de Militaribus religionibus non loqui: idque ex Abbate, Siluestro, & Angelo colligi facile potest, ut statim dicam. Nam professionem emittunt iuxta regulæ præscriptam, non iuxta Concilij Tridentini decretum.

Tertio queritur, An iidem Sacri Milites comprehendantur Decreto eiusdem Concilij Tridentini, *Sess. 6. cap. 3. de Reformatione, vbi sancitum est: Nemo secularis Clericus cuiusvis personalis, vel Regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegij prætextu, tutus censetur, quin minus si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc, à Sede Apostolica delegato secundum Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.* Sic ibi Concilium.

Quo posito Decreto, & Sactione, est **Q**uestio: An Ordinarius, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus visitare, corrigere, punire queat militaris Ordinis equitè extra Conuentum commorantè, & delinquentè? *Nau. in consil. 22. de Regular. quauis dubius, videtur existimare, hoc Decretum nihil derogare Priuilegijs Ordinum Militarium in his, quæ pertinent ad Sacros Milites. Alijs probabilius videtur, eos non esse comprehensos, quoniam poenæ*

& odia iure, vel statuto contra Religiosos constituta, non trahuntur ad eos, vt statim ostendat. Et ait ibidem Nauarrus literam veram predicti decreti clariorem desiderari, quoniam ea quam habemus, subdificilis, & subobscura videtur, quod attinet ad illa verba cuiusvis personalis. Ceterum mihi litera eiusmodi decreti non videtur obscura: puto enim eo loco sensum esse: Nullus Clericus Sæcularis, cuiusvis personalis (videlicet priuilegij prætextu) vel regularis extra monasterium degens, etiam sui ordinis priuilegij prætextu, tutus censeatur, quo minus si deliquerit, ab Ordinario loci tanquam super hoc à sede Apostolica delegato secundum Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

Quartò quæritur, An in iure communi nomine Regularium, vel Religiosorum intelligantur quoque Militariū Ordinum Equites sui instituti Regulam professi? Respondent quidam, cum Abbate in Rubrica de Regularib. cum Silu. verb. Ecclesia. 1. quest. 6. prope finem, & in verb. Religio. 1. quest. 1. versiculo. Tertium Hospitalarij. Angelo, Religio. sum. 4. in ijs, quæ fauoris, priuilegij, ac beneficij effe dicuntur, Milites, qui vnà cum Obedientia, & Paupertate Castitatem simpliciter, & Regulam approbatam profiteantur, nomine religiosorum iure communi, vel statuto intelligi, quoniam salte sunt Religiosi late: at in ijs, quæ ad odiū, & poenas attinent, appellatione, & numero Religiosorum non censentur. Ceterum ij Milites, in quiunt, qui tantum Castitatem coniugalem promittunt, non videntur nomine religiosorum venire, etiam in ijs, quæ ad fauorem spectant, nisi cum expressim illis id priuilegium conceditur: quia etiam late, & amplè Religiosi non sunt. Glossa in cap. Quisquis 17. quest. 4. & ibi Archidiaconus. Ite, Ioannes Andreas in Rubrica de Regularibus videntur docere, Templarios, Hospitalarios, & alios, qui tria vota religionis faciunt, & regulam approbatam religiosorum profiteantur, intelligi nomine, & appellatione religiosorum, præsertim cum iura generatim loquantur: *Quicumque Religiosi hoc, vel aliud fecerint, Et certe ego nõ video, cur nomine religiosorum non veniant, si Castitatem simpliciter, & non coniugalem tantummodo promittunt: nam tria vota, quibus Religionis substantia continetur, faciunt: deinde Institutū, & regulam religiosorum approbatam profiteantur, videlicet S. Benedicti, vel S. Augustini. Nec impedit si laxiorem paupertatem, & obedientiam profiteatur: nam vna, est à tera religione laxior, vel arctior. Quare si statuto cautum sit, ne religiosus aliquis publico officio, vel munere certæ ciuitatis fungi possit, eligi non poterit Miles S. Ioannis in eo oppido habitās. Si quis faciat votum religionis, & religionem Militarem, quæ Castitatem simpliciter ex regula, Paupertatem, & Obedientiam seruat, profiteatur, voto de ingressu in religionem satisfacere videtur, nisi aliud cum vouit, expresserit. Sic Aragonius in 2. 2. q. 88. artic. 11. sententiam Cordubensis sequutus in sum. quest. 148. Insuper omnes Milites religiosi, siue Castitatem simpliciter, siue tantummodo coniugalem profiteantur, item siue omnino proprio se abdicent, & paupertatem simpliciter promittant, siue proprium aliqua ratione habere*

possint, videntur nomine religiosorum intelligi in ijs, quæ ad fauorem spectant, non in ijs, quæ ad odia, & poenas attinent: vnde Gregorius XIII. permisisse dicitur Militibus religiosi. S. Iacobi, Calatræ, & Alcantaræ, vt cum alijs spectatoribus interesse possent in ludis publicis, in quibus tauri agitantur; & tamen Pius V. veterat, ne religiosi, vel Clerici sacris Ordinibus initiati, aut Ecclesiasticum Beneficium habentes in eiusmodi ludis siue Spectaculis interessent. Item S. D. N. Clemens VIII. constitutionem edidit, qua prohibuit, ne munera largiantur regulares cuiusvis Congregationis, Societatis, & instituti (non tamen Militiæ) vbi religiosos exceptit Militiam profiteantur.

Quintò quæritur, An sacri milites Diuinum Officium persolvere, siue preces Horarum quotidie recitare debeant? Respondeo eos, quos paulo ante dixi, non esse verè, & simpliciter religiosos, quia vel Castitatem tantummodo coniugalem promittunt, vel quia paupertatem non volent, minime hoc præcepti, vel legis vinculo obligari. Quæstio igitur hæc locum habet in his, qui Castitatem simpliciter, & paupertatem omnino promittunt, eo quòd, ex communi Theologorum, & Canonici iuris interpretum sententia religiosi professi Diuinum Officium recitare debent. Cui quidem quæstioni respondeo, non debere, quoniam quemadmodum in ceteris Religionibus, Religiosi licet solemnem professionem emittant, Diuini Officij preces recitandi lege nõ tenentur, nisi ij, qui ad Chorum, ad Cantum, & Ecclesiastica ministeria admittuntur: ita & in Militaribus Ordinibus Clerici recipiuntur ad Chorum, & ad Ecclesiæ functiones, & proinde ad Officium Diuinum decantandum, vel persoluum: Milites verò nulla lege Diuini Officij preces recitare coguntur: sed quotidie preceationem Dominicam, & salutationem Angelicam loco Diuini Officij ex regula præscripto certo, ac definito numero recitant.

Sextò quæritur, An in pios vsus impèdere debeat Milites religiosorum Ordinū qui quid superest ex redditibus annuis, quos habent ab Ordine, siue Magno Magistro cõmendatos? Sciendū est, ex triplici capite posse hæc quæstionē oriri. Primum, An ad huiusmodi psum reddendū compellatur, eo ipso, quod redditus ex bonis Ecclesiæ percipiunt, & Ecclesiæ bona habet hoc onus annexū, vt is, ad què deuenierint, tantummodo iure queat percipere portionē ad commodū suum victū necessariā, ita vt reliquū debeat in pios vsus inferre. Atq; hinc quidē Nauar. *tratt. de reddit. Eccl. q. 1. monit. 55. n. 18.* existimat, milites Cõmendatarios, quos vocat, debere in pios vsus impèdere omne quod superest. Sed eius argumentū meo iudicio firmū non est: putat enim, bona Ecclesiæ ex decimis, primitiis, & alijs oblationib. percipere, hoc oneris adiunctū habere, vt ex eis cõmodū duxat alimentū percipiatur, & reliquū piè in pauperum vsus erogetur: qua de re agendum erit suo loco. Sentiunt alij, Milites Cõmendatarios ex alio capite in pios vsus consumere debere, quod superest ex huiusmodi annuis prouentibus: cū enim fructus percipiunt ex decimis Ecclesiarum, quæ sunt Ordinibus attributæ, coguntur,

impende-

impendere in vltus Ecclesiarum quod superest. Sed & hoc eorum argumentum incertum est, propterea quod Ecclesijs Ordini Militari subiectis Rectores præficiantur, ex ipsiusmet Ordinis Clericis delecti, quibus sua quoque portio ad vitam necessaria est assignata, quibusque tota Ecclesiarum cura committitur, & proinde ad Milites Commendatarios nulla Ecclesiarum administratio curaque pertinet: & annui redditus ipsi tribuuntur, vt ea bona, ex quibus tales redditus percipiunt, tanquam bona ipsius Ordinis conferent, & administrant, ne pereant: & vt habeant vnde commodè viuunt, ac sustententur. Alij demum tertio ex capite censent, oportere eos id, quod residuum ex necessarijs impensis est, in pios vsus conferre, propterea quod annuos redditus percipiunt, vt in militia sustententur: & proinde si plus habeant, quam sit necessarium ad commodum vite militaris subsidium, debent id in pios vsus distribuere, & elargiri. Sed nec hoc firmè consistit: quoniam etsi annui redditus causa militiæ, sunt militibus attributi, sed præcisè tamè non sunt ea ob causam assignati; quare non habent obligationem in pauperum vsus erogandi, quod superest; qualem habent Beneficij Clerici, sed solum debent Ordini, cuius sunt Milites, reddere, ac soluere pensionem secundum statuta; & regulas Ordinis constitutam, & impostam: reliquos fructus possunt in quos maluerint vsus honestos, & bonos, quauis non pios infumere. Nà huiusmodi bona stabilia, vt dixi, quæ sunt Ordinis, Militibus ipsius Ordinis commendantur, vt ea administrant, conferunt, & augeant, & ex eis fructus sibi percipiunt ad vsus suos, ac proinde prout voluerint, honestati, & rationi cõuenienter impendant, dummodo ex eis certam soluant ipsi Ordini annuam pensionem. Cæteri milites, qui Commendatarij non sunt, sicut Superiorum cõsensu extra Conuentu viuunt, sic eorundem Superiorum permisso habent bona à suis patribus, vel fratribus, vel cognatis, vel aliunde, ex quibus sustentantur, & quæ infumunt in bonos vsus, quos volunt. Votum enim paupertatis, quod faciunt huiusmodi Milites, cõsuetudo recepta interpretatur tale esse, vt se milites honorum dominio abdicent, quauis bona ab ipso ordine commendata habeant, quorum fructus in bonos vsus impendat, vel aliunde bona accipiat, ex quibus sustententur, & viuunt, & reliquum, quod ex illis superest, in bonos quoque vsus infumant.

Septimò queritur, An Milites S. Iacobi, Calatrax, & Alcantaræ, & alij similes tuta conscientia percipiant annuos redditus, quos habent sibi commendatos? Sunt, qui id negent, ea ratione permoti, quod eiusmodi redditus sunt eorum Ordinum Militibus dati, vt contra Saracenos, & alios Christianæ fidei, & religionis hostes prælia committerent: nunc verò, inquit, nihil tale præstant, nempe otiosi sacros redditus infumunt, ac deuorant, bonis ad sanctos vsus destinatis affluunt, cum tamen, nec vultu hostium vnquam aspiciant, nec arma capiunt: edunt, & bibunt lautè, & vestiuntur splendide, & in aulis, & curijs Principum ferè commorantur. Nam sic res humanæ à præclaro initio degenerare solent non raro. Sed quod datur ob causam, non substitit, ac valet ea minime

subsecuta. Denique sicut Clerici Beneficij, cum Beneficium accipiunt ob officium, ac ministerium, si preces Horarias non recitent, fructus non acquirunt, & comparant. Præterea, sicut quia Beneficium Ecclesiasticum iure communi postulat, vt Clericus in Ecclesia, cui præest, commoretur, & resideat, ideo si Beneficij ab ea absit, minime fructus facit suos. Sic etiam cum annui redditus ob militiam conferantur, si nulla Militibus cum hostibus prælia committant, nullo iure eos Ecclesiæ fructus acquirunt. Postremò, quia sicut quotidianæ distributiones debentur his, qui in Choro præsentibus adsunt, ideo qui inde abest, eas sibi minime acquirat; sic nec Milites Commendatarij annuos fructus faciunt suos, siquidem cum hostibus manus non conferunt.

Cæterum præterquam quod duriuscula est eiusmodi sententia, non est satis firma, eo innixa argumento, sanè leuis, quod prædicti redditus sint Militibus attributi præcisè ob militiam tanquam causam, ea, inquam, lege, & conditione, vt militarent. Nos verò libere contestemur, data esse hæc bona religiosis Militibus causa quidem militiæ, non ea tamè lege, & cõditione, vt militent: aliud enim est datu esse militi, quia miles est; aliud verò dari militi, eo pacto, & lege, vt prælietur, ac pugnet. Primum fatemur, secundum negamus.

Argumenta verò initio proposita contra nos, nihil euincunt. Nam Beneficij Clerici si officium, & pensum diuinum non soluant, aut si absint ab Ecclesia, cui præsent, vel choro non intersint, iure, vel saltem auctoritate Iudicis ordinarij Ecclesiastici, fructibus Beneficiorum priuantur, ac Ecclesia Milites Commendatarios non priuat fructibus sibi assignatis, si nulla prælia faciant: nec item illis spoliatur absolute iustitia legibus, cum ideo, vt dixi, non sint dati, vt militarent.

Octauò queritur, An Milites Commendatarij de fructibus, quos ex annuis redditibus sibi ad vitam commendatis percipiunt, statuere liberè queant perinde, ac de patrimonio alius quisque potest? Respondeo, eos cum professione emittunt, abdicare se omni patrimonio, quod habent, quamuis aliquid sibi referuent superiorum consensu, vnde viuunt, dum ex bonis ipsius Ordinis non sustentantur: Paupertatis enim Votum Deo nuncupant: quo facto, nihil proprium possunt amplius acquirere, aut retinere; & propterea annuos redditus, quos à Magistro Ordinis, vel administratore perpetuo ad vitam accipiunt, tanquam sibi commissos, non tanquam proprios habent; & eorum vsus tantummodo, non dominium, aut proprietatem retinent. Quocirca huiusmodi redditus, vulgo Commendæ vocantur, quoniam verè commendantur Militibus, vt ipsi ex eorum fructibus, & honestè, & commodè sustententur: olim emeritæ militiæ eiusdem Ordinis viris Commendabantur, vt his redditibus alerentur, & eos nihilominus conseruarent: hoc est, vt conseruarent ea bona stabilia, ex quibus annui redditus prouenire solent, quare eorum obitu vacare dicuntur: nec enim, vt hæreditaria bona transmittuntur in posteros, cum in Militum bonis non numerentur, qui nihil proprium possident; atque eadem ratione Milites ipsi Commendatarij

commendatarij appellantur, quia reddituum dominium, & proprietatem non habent, cum eos percipiant, ex certis stabilibus bonis, quae sunt bona ipsius ordinis: habent igitur Milites commissa, & commedata sibi eiusmodi bona, & annuos redditus: ex eis verò fructus percipiunt, quos possunt in quos maluerint, vsus infumere honestos, & bonos: Quare non possidet eiusmodi bona quae admodum possidet quis patrimonium suum: nam tui patrimonij dominium habes, & proprietatem, ac proinde vsus ex re tua: At milites, sibi colligunt fructus ex bonis ipsius Ordinis, non ex patrimonio, aut re sua. Item, quisque suo patrimonio uti potest, ut vult, sine consensu, & voluntate alterius: at Religiosi milites licet redditus, & fructus impendant in vsus, quos voluit, id tamen faciunt consensu, & voluntate Superiorum iuxta ipsius Ordinis statuta. Et potest iure Ordo, onera, & seruitutes imponere redditibus annuis, & tantam, quantam voluerit portionem ex illis sibi reseruare quotannis.

Ex his manifestum est, Milites non habere idem ius in redditibus, quam in patrimonio suo reliqui habent, qui nullo sunt religionis voto alligati: nam alij suorum bonorum dominium retinent; at verò Milites sacri omni reddituum bonorum dominio, & proprietate carent; sibi tamen fructus acquirunt: ut statim dicam.

Nonò queritur, An Milites Religiosi reddituum ipsi commendatorum fructus sibi acquirant, eosque faciant suos, ac liberè in vsus, quos voluerint, impendere queant? Id enim ideo queritur, quod sint Milites Voto Paupertatis adstricti, ergo non solum dominio, & proprietate vacat, sed etiam nihil iuris possunt in fructibus comparare: Religiosus enim nihil sibi, sed Monasterio acquirat. Quidam existimant eos esse fructuum simpliciter dominos, quippe qui illos suo arbitratu consumunt, nec quidquam obstat votum Paupertatis emissum, quoniam licet huiusmodi votum olim seuerius fortassis, ac durius accipiebatur: nunc verò consuetudo mitius, benignius, & laxius illud interpretatur, nimirum, ut Commendatarij Milites fructuum dominium habeant. Quare cum Paupertatem vouent, profitetur se eam seruaturus, quae nunc more seruatur, non quae olim rigidè seruabatur. Ego tamen respondeo, Paupertatem, quae Commendatarij Milites pollicentur, praesertim ij, qui in Hispania sacram militiam solemniter promittunt, cuiusmodi sunt Milites Sancti Iacobi, Calatrae, & Alcantarae: non esse aequè arctam, ac eam, quam Monachi, & Mendicantes religiosi profitetur. Nihil omnes, voto Deo facto, se abdicant dominio, proprietate, ac vsu rerum, qui in iure, non in facto consistit: illi verò dominium, & proprietatem dimittant, vsus autem non item. At Ordo concedit ipsis, ut annuos redditus ad vitam commedatos habeant, ex quibus fructus in suos vsus iure percipiant, & de quibus possint liberè statuere, & ita eos locant, vendunt, permutant, donant, & arbitratu suo consumunt. ARGUESJ possunt igitur liberè de fructibus statuere perinde, ac si eos tanquam proprios, & suos possiderent: Respondeo, Interest plurimum, etenim si nullo isti Paupertatis voto tenerentur, fructus

perciperent ex redditibus tanquam suis, ac eos impenderent, ut rerum suarum lucra, & emolumenta, & absque consensu, & voluntate alterius; at verò, eo ipso, quod sunt voto Paupertatis adstricti, percipiunt fructus ex redditibus tanquam sibi commissis, & commedatis. Et eos in vsus, quos volunt, impendant, sed nunc, & voluntate Superiorum. Quare quod ad factum pertinet, parua videtur esse differentia; magna verò quod ad ius ipsum spectat. Nam si religiosi non essent, huiusmodi fructus infumerent tanquam rerum suarum foetus, & partus. Sed quia religiosi sunt, impendant eos, tanquam fructus ex re aliena videlicet, ex bonis ipsius Ordinis iure perceptos, & suorum Superiorum consensu.

Decimò queritur, An si fructus ludendo perdant, aut alio quouis modo futili, & vano impendant Milites Commendatarij, peccent: & an eos fructus tuta conscientia retineant ij, in quos ipsi malè donando transfulerint? Respondent quidam, peccare quidem praesertim in eo, quod vanè, & inutiliter infumunt eiusmodi fructus; tuta tamè conscientia eos, quibus ipsi quamuis alius indigè dederint, retinere; cum nihil de reddituum annuorum dominio statuunt, sed fructus tripliciter modo suo arbitratu dispensent. Et quia huiusmodi fructus sunt stipendia militum religiosorum, Mihi haec sententia dubia, & incerta videtur: nam verisimilius est tales redditus annuos, non committi, & commendari militibus, ut in vanos, & malos vsus infumant, sed in honestos, & bonos, quamuis non pios. Item, non sunt praesertim stipendia militaria, sed bona ipsorum Ordinum Militarium, quae commendantur sacris Militibus, ut ea administrent, & in bonos vsus impendant. Neque verò semper ludendo praefati Milites peccant, dummodo tales sint Iudi, quales decet alios equestris ordinis nobiles, ac primarios viros, etià nullam religionem professos: nec si impendant in vsus honestos, & bonos, quamuis non pios, peccare dicuntur: peccant sicuti, & laici, qui cum possint commodè grauiter indigentium pauperum, vel extrema inopia, & egestate laborantium hominum necessitatem subleuare, nihil curant: non tamen peccant, si in communes, & consuetos pauperum vsus, fructus, aut quod ex illis superest, non erogent. Peccant itidem, sicut ceteri Laici, si in vanos vsus impendant, & fortassis tunc contra votum paupertatis faciunt, eo quod superiorum rationabilis voluntas non sit, ut eos fructus in vanos vsus infumant.

Cap. V.

De eisdem Militaribus Ordinibus alia quaestiones diluuntur.

Primò queritur, An Milites Commendatarij testari possint de suorum reddituum fructibus, & de alijs bonis post Religionis professionem industria, labore, aliorum donatione, militia vel alia ratione quaesitis? Negant quidam id fieri posse absque facultate à Romano Pontifice impetrata, eo quod solemniter Paupertatis votum emiserint, & nullus testamentum facere queat, qui nihil proprium habeat. Milites verò inquirunt, qui coniugale tantummodo Ca-

stitatem

ritatem voverunt, quoniam matrimonio copulantur, & liberos suscipiunt, ideo Romani Pontificis privilegio solent de fructibus reddituum, & aliorum bonorum, quibus vtuntur, condere testamentum. Immo hæc facultas alijs quoque Militibus Commendatarijs, quibus ratione Voti, vsu matrimonij est interdictum, eiusdem Pontificis auctoritate, & beneficio concedi solet, tã ampla, vt liberè de his testari queant.

Addunt illi, Pium Quintum Constitutionem edidisse, qua suorum antecessorum Privilegia, quibus videlicet testamentum faciendi potestas facris, & Religiosis Militibus conceditur, abrogavit, ac sustulit. Extat ea Constitutio Pontificia, sub hoc initio: *Sacrosancti*, vbi inter alia sic decernit Pontifex: *Abolemus, & irritas facimus omnes, & quascumque licentias, & facultates testandi, & alias quomodocumque disponendi etiam ad certam, & quantumuis modicam quantitatem de rebus, fructibus, & bonis immobilibus, mobilibus, & se mouentibus, ad Magistros, Priores, Praeceptores, Milites, Fratres, & personas militiarum, ratione illorum, nec non praepositarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam secularium, & aliorum Ordinum Regularium, personarum, & fructuum quorumcumque prouentibus: nec non facta hucusque, non tamen effectum sortita, vigore licentiarum, & facultatum predictarum testamentaria, & alias dispositiones huiusmodi, etiam per easdem licentias, & facultates disponatur, quod dimidia, vel alia pars rerum, & bonorum praedictorum Militijs, hospitalibus domibus, & locis, vnde illa prouenerint, aut alijs pijs locis relinquatur.* Hactenus Constitutio. Quidam non putant, hanc Constitutionem extendi ad Milites Religiosos Sancti Iacobi, Calatrauz, Alcantaræ, & alios similes, qui in Lusitania, Florentiæ, vel alibi sacram Militiam profitentur, & testamentum faciunt de fructibus annuorum reddituum commendatarum: vel de alijs bonis industria, labore, militia, vel alia ratione partis, dummodo illud faciant iuxta constitutiones Ordinis, aut consuetudinem vsu receptam, & in ipso Ordine approbatam: quoniam Pontifex solùm abrogat licentias, & facultates testandi, non Ordinis Constitutionem Ecclesiæ auctoritate approbatam, vel consuetudinem vsu, & moribus receptam, & solùm irrita facit testamenta, quæ licentiarum, aut facultatum ratione conduntur, non quæ fiunt iuxta Constitutionem Ordinis, vel consuetudinem: Probabilis videtur esse sententia.

Secundò queritur, quo pacto accipi, intelligi, ac declarari debeant vota, quæ sacri milites, dum sui Ordinis Regulam profitentur emittunt? Respondeo, eos tria Vota facere consueuisse. Milites quidem Sancti Iacobi, Calatrauz, & Alcantaræ in Castella, & ij, qui in Portugallia Sancti Iacobi, Christi, & nomine de Auis appellantur, pollicentur se absque vlla re propria victuros, quod est Votum Paupertatis: non tamen tam arctæ, quàm est paupertas Monachorum, & Mendicantium Regularium: nam vsus ipse, & consuetudo interpretatur horum Militum Votum tale esse, vt quum Ordinis Regulam profitentur se abdicet patrimonio, & quarumlibet rerum aliarum, quas habebant, dominio, & proprietate, & quicquid deinceps, vel ex militia, vel industria, labore, arte, aut aliorum donatione, aut alio

quouis modo comparauerint, id non sibi ipsis, quod ad eorum bonorum dominium, & proprietatem spectat, sed soli Ordini acquirat, eidemque tradere, aut saltem scripto indicare, & parefacere debeant: ac deinde Ordinis Magister, siue Administrator perpetuus, singulis impertiat, quicquid est ad vitæ vsus necessarium: ita vt Militum quisque liberè possit id, quod est sibi assignatum, in quos maluerit vsus honestos, & bonos impendere, & fructus quoque annuorum reddituum, suo arbitrio dispensare, dummodo id faciat, quod Ordinis Cõstitutiones præscribunt. Nonnulli tamen regulares Ordines in suis Cõstitutionibus sanxerunt, in singulo quoque anno, singuli Milites describant, quicquid ad suos vsus habent, & Magistro scriptam chartam exhibeant. Milites quoque S. Ioannis Hierosolymitani inter profitentium promittunt, se sine proprio victuros. Olim formula professionis eorum erat hæc. *Ego, N. iuro, promitto, & voueo Deo, Beate Virgini Mariæ, & Sancto Ioanni Baptista, & Magistro sacri Hospitalis Hierosolymitani, me obseruaturum perpetuo, hæc tria, scilicet me obediturum, & victurum absque proprio, iuxta formulam Statutorum Ordinis, & pro viribus meis Castitatem seruaturum.* Nunc verò, sic profiteri solent ijdem Milites, *Ego, N. voueo, & promitto Deo omnipotenti, Beate Mariæ semper Virgini, genetrici Dei, & S. Ioanni Baptista, me obseruaturum perpetuo, Deo iuuante, veram Obedientiam cuiuslibet Superiori, qui mihi à Deo, & ab ipso Ordine dabitur; item me victurum absque proprio, & Castitatem seruaturum.* Mea quidem sententia eiusmodi Votum Paupertatis intelligi, & accipi debet eo modo, quo illud intellexit, & interpretata est recepta hactenus consuetudo, optima legum interpres, vsus autem tale votum sic accipere, & interpretari videtur, vt ij quoque Milites liberè, sed benè, & conuenienter rectæ rationi dispensent, & infumant fructus, quos annuis ex redditibus, & alijs rebus, sibi à Magno Ordinis Magistro commendatis, vel aliunde percipiunt. Atque ita etiam intelligendum puto votum quorumlibet aliorum Religiosorum Militum, quò promittunt se absque vlla rerum proprietate victuros. Milites verò Sancti Stephani, à Cosmo Medice Magno Florentiæ, & Senarum Duce instituti, & Pij Quinti auctoritate confirmati, non Paupertatem, sed Charitatem expressim, vnà cum Castitate coniugali, & Obedientia profitentur; vt ex Pontificia Constitutione Pij Quarti, quæ incipit: *His que*, plane cõstat. Quidam sentiunt, inter quos est Nauarrus consil. 23. de regularijs, eos implicite Paupertatem vouere, id ex eo concludentes, quod ij Milites sub Regula Sancti Benedicti viuunt. Sed hoc illis libenter concederem, si instar Monachorum, cum professionem emittunt, sponderent se Regulam Sancti Benedicti simpliciter seruaturum: tunc enim implicite paupertatem promitterent, cum id in ea Regula apertè contineatur. At hoc modo illi professionem non faciunt; quamuis in dicta Constitutione dicatur, Militiam Sancti Stephani, sub Regula Sancti Benedicti erigi, & institui, nõ igitur paupertatem promittunt: immo ex constitutione Pij Quarti constat, eos posse proprium possidere: & ex suis bonis aliquid re-

linquere,

linquere, vnde annui redditus proueniāt, ex quibus fundari, erigi, & constitui queant Ordinis Commendæ, vt vocantur, ex quo perspicitur eius Ordinis Clericos iure communi capaces esse Beneficiorum secularium, & Ecclesiasticarum pensionum, quia verè, & propriè Religiosi non sunt, eo quòd proprium habere possint: quidquid dicat Nauarr. *consil. 23. de Regula*. Quicquid sit de Paupertate, certè Milites prædicti Charitatem pollicentur, qua nimirum Dei honorem rebus omnibus præponant, sacre scripturæ præceptis obtemperant, Sedis Apostolicæ mandata seruent, pro fide Catholica pugnent, iustitiam colant, pauperibus subueniant, captiuos ab Infidelium vinculis ereptos recuperent, & sese vtrò cuius periculo pro Christiana religione obijciant, & pro ea augenda, non solum facultates, sed vitam exponant. Hæc habentur in dicta Constitutione. In qua itidem tribuit Pontifex eisdem Militibus, etiã matrimonij vinculo adscriptis, & dygamis facultatem, vt habeant singulas pensiones vsque ad summam ducentorū aureorum, super quarumuis Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Canonicatum, Dignitatum, Administrationum, officiorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, secularium, siue Regularium fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obventionibus, & emolumentis, alijs, sibi Canonicè referuandas, & vt possint eas ad vitam percipere, & exigere, & in suos vsus conuertere, illasque ad aliquam expeditionem contra Infideles accedendo, aut in ea existendo in toto, vel parte, quando sibi videbitur, etiam in mortis articulo, transferre in omnibus, & per omnia possint in cuiusvis personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut Canonici viri Cathedralis Ecclesiæ, vel in dictæ Militiæ manibus resignando.

Item, concedit eisdem Militibus, immo etiam Presbyteris, & Beneficiarijs eiusdem Ordinis, vt de quibuslibet, tum stabilibus, tum mobilibus bonis, pecuniarum summis, gemmis, & lapidibus preciosis alijsque rebus cuiuscumque qualitatis, & quantitatibus, ac valoris sint, per eos etiam ratione Beneficiorum Ecclesiasticorum, quorumlibet per eos obtentorum, ac alias vndecumque, & quomodolibet acquisitis, & ad illos quouis modo spectantibus, dummodo quintam illorum partem Conuentui prædicto relinquunt inter quoslibet consanguineos, filios etiã, & alias personas testari, aut alias etiam per codicillos, donatione inter viuos seu causa mortis, & alia quolibet via, vt sibi videbitur, disponere, & illa in pias, & non pias, alioqui tamen licitas causas erogare. Hæc Pontifex eo loci.

Porro quod ad votum Castitatis atinet, Milites S. Iohannis Hierosolymitani, Castitatem simpliciter promittunt: Milites verò sancti Iacobi, & sancti Stephani, ex instituto Castitatem tantummodo coniugalem pollicentur; Calatrana, & Alcántara olim quidem ex instituto Castitatem simpliciter vovebant; nunc verò Pontificia auctoritate coniugalem profitentur solum: Quæ eandem spondent Religiosi Milites, qui in Lusitania Christi appellantur, & ij, qui in eadem pro

uincia Sancti Iacobi milites nominantur; alij item vulgo dicti de Auis: & ij, qui in provincia Valentina vocantur Milites Montesa, vt à viris fide dignis accepti.

Quòd spectat ad votum Obedientiæ, prædicti Milites vniuersi vovent obtemperaturos se Magno Ordinis Magistro, aut cuius alteri Præfecto, Magistri vice fungenti.

Tertio queritur, quot, & quanam sint Ordines Militares religiosi? Respondeo eos esse in primis, qui dicuntur Hospitalarij Sancti Iohannis Hierosolymitani, quique olim primum Hierosolymis habitare ceperunt: mox in Insulam Rhododollegium, siue Conuentum suum habuerunt, vnde, & dicti sunt Milites, seu Equites Rhodienses: eam enim insulam ex hostibus bello captam tenuerunt, vel x alij tradunt, à Gothifredo primo Hierosolymorum rege dono acceperunt: eamque ad nostram ferè vsque æratem fortiter, strenuè, & egregiè defenderunt. Sed tandem anno 1522. à Turcis prælio superati, eius imperium amiserunt postquam tres menses, & eo amplius obsidionis pericula, & mala sustinuerant. Inde expulsi commigrarunt in Insulam Melitam, quam Caroli Quinti Imperatoris beneficio, ac munere acceptam obtinent etiam nunc: vnde & Melitenses equites appellantur. Gestant hi candidæ Crucis signum in veste nigra ad sinistram. Eorum Ordo Honorij II. auctoritate est confirmatus anno 1124. quanquam alij referunt Ordinem esse approbatum à Gelasio 2. anno Domini 1120. cum esset paucis ante iam annis institutus, videlicet anno salutis humanæ 1088. vel 1079.

Fuere olim quoque Milites dicti Templarij, qui cœpisse dicuntur circa annum Domini 1120. quique utebantur candido pallio, cum rubra Crucis signo, his enim, anno Domini 1129. cum approbatus, & confirmatus est Ordo, datus est albus amictus auctoritate Honorij II. eorumque familia, per ducentos ferè annos propagata est. At licet initio parua incrementa habuerit: postea tamen adeo aucta amplificataque fuit, vt facultates maximas, & oppida apud Christianos vbique terrarum quamplurima possideret. Cæterum auctoritate Clemençis Quinti, deletus extinctusque Ordo est anno Domini 1312. cum esset impietatis accusatus: ac Templariorum bona partim Rhodijs Militibus, partim nouis Ordinum familijs, partim Principibus sunt attributa.

Sunt & alij, qui dicuntur Theutonici, Hospitalarij Sanctæ MARIAE: qui candido amicti pallio, nigra Crucis signum deferunt, & nemo nisi Theutonicus huiusce Militiæ sacris initiatur. Nā Hierosolymis sacro bello recuperatis, initio vir quidam Theutonicus hospitem domum ad peregrinos suæ nationis homines excipiendos, & tuendos extruxit, & illi, Patriarchæ assensu, Sacellum Deiparæ Virginis sacrum adiunxit: quem postea nonnulli Theutonicis imitati, se Deo omnino tradidere, suis rebus Xenodochio, & B. Virginis sacello donatis: ex quibus cœpit Ordo Militum Teutonicorum Sanctæ Mariæ: qui quidem anno 1192. vel iuxta aliorum sententiã anno 1195. auctoritate Celestini III. confirmatur. Deinde verò cū Syriã, Christianis ereptã Saracenis, iterum occupassent, Crucigeros Milites Theutonicos,

Ptolemaida recuperata è tota Syria, & Orientis partibus protinus eiecerunt, qui in Germaniam commigrarunt. Postea verò à Polonis euocati, contra Prusios, & Masouios hostes Sanctissimæ Virginis ductu, & auspicijs, Prusiâ Polonis tunc infestam, & inimicam subegero, & iure bellico partam, suæ ditionis fecere: quæ gens victa atque superata prælijs, religionem Christianam, & cū religione pariter linguam Ruthenicam suscepit. In ea provincia arcem præmunitam, & oppidū Mariaburgū, caput totius familiæ, & primū domicilium, ac sedem eorum Militum, qui vniuerso Ordini præfunt, legimus constitutum.

Sunt præterea in regno Castellæ Hispaniæ regi subiecto, tres Ordines Militares. Nam sunt Milites Sancti Iacobi sub Regula Sancti Augustini viuentes, quorum duo sunt celebres Conuentus, vnus in oppido dicto Veles, quod nunc est caput totius Ordinis: Alter est in Vrbe Legionensī S. Marco dicatus. Olim quidem, vt ait Fræciscus Rades in Chronico Ordinis, cap. 48. Magistri, toti Ordini Militum præfiebantur: qui fuisse dicuntur quadraginta: nunc verò auctoritate Pontificia, Hispaniarum Reges sunt perpetui administratores Ordinis: Est enim Magistratus regibus in administratione perpetuâ datus: infigne Militibus in veste candida, Crux rubra, in gladij militaris modum conformata. Confirmatus est Ordo auctoritate Alexandri Tertij, anno Domini 1175. vt patet ex diplomate Pontificio, quod habet Franciscus Rades in Chronico Ordinis, cap. 9. licet fuerit ante institutus, videlicet anno Domini 1170.

Sunt & Milites Calatrauæ, quorum Conuentus, caput, ac sedes totius Ordinis, est in Oppido Calatraua in Hispania, quod est in Oretanis, ad Anam flumiū situm, in loco satis munito: vnde & nomen acceperunt: viuuntque sub Regula S. Benedicti, & Cisterciensium: vtuntur in amictu candido, rubræ Crucis signo, & figura ad læuam. Eorum Ordo est, auctoritate Alexandri Tertij approbatus, anno Domini 1164. diploma Pontificium, quo approbatus est Ordo, habet Franciscus Rades in Chronico Ordinis, cap. 10. Institutus esse perhibetur, anno salutis humanæ 1158. Rodericus lib. 7. c. 14. & Franciscus Rades, in Chronico Ordinis c. 3.

Sunt item Milites Alcantaræ, quorum Conuentus, caput, & sedes Ordinis est in oppido, quod dicitur Alcantara: quod eius Ordinis equitibus nomen dedit, in regno Castellæ ad ripam Tagi fluminis, cœperunt anno Domini 1176. vel paulò ante, regnante in Castella Alphonsi huius nominis 8. Et Ferdinando 2. Legionense regnum tenente. Vtuntur illi nigris vestibus, & Cruce viridi ad sinistram; militant sub Regula sancti Benedicti, & Cisterciensium. Horum Militū ordo fluxit ex Ordine Militari, dicto nomine S. Iuliani in Periero: nam primū quidem fuerunt milites vocati nomine S. Iuliani in Peiero, quod est oppidulum in dicecesi Ciuitatensi, quæ dicitur Ciuitas Roderici, situm ad ripam fluminis Coæ: eo quòd in eo loco Conuentum habebant: hic ordo approbatus est ab Alexandro Tertio, vt patet ex diplomate Pontificio, quod habet Franciscus Rades in Chronico Ordinis, cap. 2. anno salutis humanæ 1177. creditur institutus fuisse circa

annum Domini 1176. aut paulò ante; confirmatus etiam est à Lucio 3. anno 1187. & ab Innocentio II. anno 1205. teste eodem Francisco Rades. Sed anno Domini 1218. hic Ordo cum Ordine Calatrauensi conuenit, his pactis, & conditionibus, vt Ordo S. Iuliani in Periero acciperet ab Ordine Calatrauensi oppidum Alcantarâ, quod quinque iam annis possederant milites Calatrauenses, donatione Alphonsi regis Legionensīs, & Magister Ordinis S. Iuliani, & milites visitarentur, instituerentur, & corrigerentur à Magistro militum Calatrauensium, dummodo tamen nihil alienare posset ex bonis Ordinis S. Iuliani, & nihil iuris, & potestatis haberet in eligendo Priore Conuentus Sancti Iuliani, sed liberam relinqueret electionem Clericis illius conuentus. Ea etiam conditione, vel ad eligendum Magistrum militum Calatrauensium, vocaretur Magister militum Sancti Iuliani, & suffragium haberet. Ex eo tempore Milites Sancti Iuliani Conuentum habuerunt in oppido Alcantara, & dici cœperunt tum Milites, tum ordo ipse nomine sumpto ab oppido Alcantara, quo ex oppidulo Periero commigrarunt. Anno verò 14. impetrauit Magister militum Alcantaræ à Benedicto 13. qui vt legitimus Pontifex in Hispania habebatur, vt infigne ordinis esset Crucis figura, & tunc vt cœperunt Milites Alcantaræ Cruce viridi, vt à Militibus Calatrauæ distinguerentur: qui rubram Crucem in amictu, vt diximus, gestant.

Porrò in Valentino tractu Rex Aragonius facram Militiam Montesiæ creauit, quam Ioannes XXII. anno Domini 1317. suo diplomate confirmauit, Cisterciensium instituto, & legibus viuunt, Calatrauæ Militari Ordini subiecta, in veste candida rubræ Crucis figuram gestat, præcipua eius sedes, Montesiæ: Vnde Militiæ nomen.

In Lusitania tres quoque Ordines Militares numerantur. Sunt enim in primis Milites, qui dicuntur Christi nomine, & viuunt sub regula S. Benedicti, & Cisterciensium; nigro vtuntur amictu, Cruceque partim quidem rubra, partim verò candida, videlicet, quatuor eius brachia sunt per medium discissa, & lineâ candida intersectate distincta, ita vt in singulis brachijs, binæ Cruces appareant, rubra, & candida. Conuentū habent isti in oppido Lusitaniæ vulgò dicto Touar, quod est caput, ac sedes totius Ordinis. Porrò hunc Ordinem instituit Dionysius Sextus Portugalliæ Rex, & Ioannes XXII. anno Domini 1320. sua auctoritate Pontificia confirmauit.

Alij sunt Milites vulgò nominati de Auiz, eo quòd eorum Conuentus, caput vniuersi Ordinis, est in oppido Lusitaniæ, quod dicitur Auiz. Re ipsa sunt prorsus ijdem, qui Calatrauenses: sed postquam Lusitaniæ Regnum fuit à Regno Castellæ seiunctum, ac diuisum; is Ordo subtraxit se curæ, & potestati Militum Calatrauensium, ac ita cœpit esse Ordo distinctus, sub eadem tamen Regula S. Benedicti, & Cisterciensium militans; & vtens veste nigra, & albæ Crucis figura.

Sunt & Milites vulgò, De la Palmera, nominati, quorum Conuentus, qui toti Ordini imperat, est in oppido Lusitaniæ, quod dicitur Palme.

ra: nec distinguitur, ab Ordine Sancti Iacobi, qui est in Regno Castellæ, & ita olim erat vnus tantummodo: Verum vbi Portugallia sese à Castellâ seiuinxit, ac diuisit, diuisus etiam Ordo est, eodem tamen vestitus genere, Cruce, & Regula vitur, quibus Milites S. Iacobi in regno Castellæ.

Florentiæ à Cosmo Medice, Magno Thuscæ Duce instituta est Militia S. Stephani, sub Regula S. Benedicti: & Pij Quarti auctoritate Pontificia confirmata, anno Salutis humanæ 1562.

Cap. VI.

De eisdem Militaribus Ordinibus certæ aliæ quæstiones tractantur.

Primò queritur, quonam iure Templariorum Ordo ille, quem supra nominavi, fuerit euerfus, ac penitus extinctus? Historici sanè multi, literis prodiderunt nobilissimi, & ditissimi huius Ordinis excidium, quorum alij damnant, alij verò probant, alij in dubium vocant. Nam quidam iure deletos Templarios scribunt, ob impiam Religionem, ob nefaria flagitia, & turpia quedam, & obsecra illorum vitia, denique ob læsæ Maiestatis crimen. Sic Platina, in vita Clementis 5. Polydor. de inuentoribus rerum lib. 7. cap. 5. Volat. comment. lib. 21. Aemil. de rebus Francorum, lib. 8. Gaguin. lib. 7. de rebus Franc. Alij verò tradidere, eos Philippi Francorum Regis auaritia, & iniquitate infontes damnatos. Ita Iacobus Moguntinus, Sabellicus, Nauclerus, Io. Boccacius. A Ibericus in Dictionario lit. T. ait: Ordo Templariorum euerfus fuit tempore Clementis Quinti, instante Rege Franciæ: & sic audiui ab vno, qui fuit examinatus testium, & causa, contra iustitiam: & mihi dixit, ipsum Clementem, hoc protulisse, etsi non per viam iustitiae potest destrui, destruat per viam expedientie, ne scanda aliquid charus filius noster Rex Franciæ. Hæc ille ad verbum: sed potuit ille examinatus testium, & causæ decipi. Referam breuiter quid scripserit illorum temporum scriptor, Ioannes Villaneus lib. 8. cap. 92. historie Florentinæ: à quo Antoninus par. 3. histor. tit. 21. cap. 1. S. 3. & alij acceperunt. Cum Pictauij Clemens V. commoraretur Philippus Francorum Rex, vulgo cognominatus Pulcher, aulicorum suggestionibus adductus, & spe lucri permotus, Templariorum Ordinem accusauit: initium mali ortum est, à Priore Montisalonis, in agro Tholosano, & Noffo, exule Florentino: quorum hic à Priore Parisiensi multorum criminum reus fuerat in carcerem coniectus, ille ob hereseos, & scelerate, ac perditæ vitæ crimen susceptus iudicio Magistri Templariorum perpetuo carceri addictus. Hi duo, de libertate, ac vitæ solliciti, crimina confinxerunt, ob que Ordo Templariorum Christiano nomini, ac Reipublica vitis deleteretur: ipsi verò è carcere emissi infelici vitæ exitu perierunt. Noffus enim ob aliam causam à Carissime strangulatus interijt. Prior prodicione necatus est. Cum perditissimi homines crimina inaudita commenti essent, viros maxime pios accusarunt. Accusationis capita, Procurator sicuti Regij, ad Regem scripta Pictauium misit, que ille auaritia motus, pro veris habuit: delatoribus libertate, & venia donatis, à Pontifice Clemente Quinto, cum adhuc Pictauij esset, impetrauit, vt totius Ordinis Templariorum euerfionem polliceretur, vna literarum significatione, tota Franciæ comprehensum, & sicuti Regius in eorum fundos, possessiones, ac se mouentes, mobilesque res manum

iniecit. Lutetia Magister templi Iacobus Mola Burgundus cum quinquaginta annorum equitibus socijs captus, & in carcerem traditur. Arguebatur hereseos, impietatis, fidei cum Turcis Christiani nominis hostibus iniuri, nefarie & auerse libidinis, contemptæ Crucis, & Christi Domini imaginis spuro, lotio, & pedibus scaldatis, læsæ Maiestatis, honoris, qui Virgini Dei Genitrici, & superius sanctisque eeli habitatoribus debetur, abiecti, & tandem religionis Christiane penitus abnegate. Quæstione habita sepe tori nihil huiusmodi de se, & de socijs confessi sunt, quin infontes sese pioque Templarios equites constantissime testabantur. Macerati longo carcere quinquaginta sex, totidem modice distantibus paucis alligati, ac lento igne rosti sunt: confessi infontes se mori, amici, & consanguines eorum frustra monentibus, vt ipem venie, si crimen agnoscerent, & faterentur, ab rege propositam amplecterentur. Supererant quatuor, Iacobus Mola, frater Delphini Principi Viennessium, Hugo Peraldus, & cuius nomen Historici, non prodiderunt, quidam olim Regiæ gazæ custos. Hi Pictauium vinciti, ad Pontificem, & Regem trahiti sunt. Vbi proposita vitæ esse, & impunitate, aliquid de se confessi Lutetiam redactum duobus Cardinalibus misit, qui euerfionis decretum à Pontifice factum publicè recitarent, & vincitos de se confessos aliqua pena multarent. Praefortibus Templi Virginiæ, ex Theatro id Decretum Cardines vincitis presentibus, & circumfusa ingenti multitudinis recitari iusserunt. Ibi Iacobus Mola Magister templi ad supplicium productus, & proposita vitæ esse, si qua in custodia fassus de se suisque socijs fuerat, nunc quoque confessus veniam publicè peteret, falso silentio negavit omnino veram esse, que de Templariorum heresi, & alijs criminibus recitata essent: Ordinem illum esse Catholicum, iustum, & sanctum, & se dignum extremo supplicio, paratumque id subire, & vltro deponere, qui vitæ dulcedine, impia de se, ac socijs, Pontifice, & Rege suadentibus Pictauij confessus esset. Ergo nunc, inquit, supremis rebus meis, cum locum mendacio dari nefas sit, ex animo verèque fateri me ingens in me meoque socios scelus admisisse, qui in gratiam, quorum minime decuit, & spe vitæ impie flagitia, & scelera ad tormenta eminentis summi Ordinem meum de Christiana Religione optime meritum: nec mihi nunc vitæ opus est precaria, & nouo super vetus mendacio retentæ. Dimissa concione, vinciti, in tetrum carcerem retruduntur, quos Rex ad supplicium productos lento igni torrerit iussit, Mola, & frater Delphini constantissime supplicium perulere. Nam rogo impositi, & admoto paulatim igne primoribus pedibus, ad experimentam scelerum confessionem ne tunc quidem cum reliquo corpore deposito, vitæ fado nidore torrerentur, ab huius orationis constantia delictauerunt, aut mutata mentis nullam significationem prebuerunt, illa tantum voce edita, que ab omnibus audiretur, Templariorum Ordinem Catholicum esse, iustum, & sanctum. Peraldus verò, & ille olim Regius Uexellor presentis supplicij metu perterriti, affirmarunt veram esse, que ceeram Rege, & Pontifice de Templarijs protulissent: qui solutis vinculis dimissi, infelici postero die vitæ exitu absumpti perierunt. Noctæ supplicium secuta, Monachi aliique Religiosi homines Mola, & Delphini Viennessis veluti sacros Martyrum cineres colligere, Hæc ex Ioanne Villaneus. In possessionem bonorum Templariorum Regius sicuti iuit, rebusque se mouentibus atq; mobilibus à fisco retentis, quæ solo cōtinerentur Pontificis decreto. S. Ioannis Hospitalarijs equitibus assignata sunt. Quid ergo hic dicendum ad propositam quæstionem: fuerunt ne Templarij iure damnati, In Castella, Salmantica, vt re-

fert Ioannes Mariana de rebus Hispaniæ, lib. 15. cap. 10. vnde cum Episcoporum conuentus est habitus: de Templarijs quæstione agitata, & causa cognita pro eorum innocentia pronuntiatum est, cõmuni Patrum suffragio, ad Pontificem Romanum, reiecta totius rei summa deliberatio est, & ea contra Patrum decretum valuit. Moguntia i-tidem in Germania, vt testatur Naclerus in Chronico volum. 2. generat. 4. 4. & narrat Aemil. de rebus Francorum lib. 8. frequens Patrum confessus habitus est, vt iussa Pontificis de Templariorum causa ageretur. Hugo cum viginti Ordinis sui socijs Militibus in eum conuentum irrupisse fertur, & clara voce testatus, si quid grauius in eum Ordinem esset decretum, se Pontificem Maximum, Clementis successorem appellare. Ferocia, & metu eorum deterriti Patres, bono animo eos esse iusserunt. Clemente certiore litteris facto, ius de integro querendi, & statuendi Archiepiscopo Moguntino demandante, causa Templariorum cognita est. Patres eos crimine liberos, ac proinde innocentes suis suffragijs iudicarunt. At in Viennensi Concilio Generali coram Pontifice Romano, causa Templariorum cognita, decretum est, vt eorum nomen, & Ordo penitus è medio tolleretur: seuerum, ac durum decretum quibusdam visum est. Aliorum iudicio verisimile est, nec ea delicta in omnes prouincias peruasisse, nec singulos contaminasse, & Templarios aliqua ex parte insonites fuisse, & Põtificem, vnã cum Concilio Patrum iuxta allegata, & approbata in iudicio, sententiã tulisse, qua capitis cõdemnari iure potuerunt: & Regem (quod etiam Gallici Scriptores confitentur) lucri auditate, & aulicorum assentationibus deceptum, cõficta fortassis aliqua improborum hominum mendacijs crimina, pro veris habuisse. Defendunt à calumnia, & crimine Templarios Villaneus, Antonius, Albericus, & alij: sed eos Romani Pontificis sententia, Concilij Viennensis decretum, fama frequens, communis ferè omnium sensus damnat. Ego longè multo probabilius existimo, eos iustis de causis damnatos fuisse. Non enim verisimile est, Romanum Pontificem totum eorum Ordinem, sine iusta causa, penitus delensisse. Documentum maximum datum vniuersis, sed præsertim sacra professione religiosa vitæ hominibus consecratis, vt similem perfidiam deuitent, improbitatem defugiant, peccandi occasiones præcidant, & opes, viresque suas magis integra probitatis opinione, quàm re alia curè quam maximè conseruandas.

Secundò queritur, quænam origo, & causa fuerit Ordinum Militarium in ecclesia Dei, & quando primum vnusquisque eorum Ordinum fuerit institutus, & propagatus, & quis inter eos sit primus, & quis secundus, & quis deinceps? Respondet, Urbem Hierosolymam, cum iam anno 1199. bello sacro esset recuperata, trium Religiosorum Ordinum institutionum causam, & originem extitisse: ij autem fuerunt Hospitalarij, seu Hospitalenses Sancti Ioannis nomine appellati. Templarij, atque Theutonici: nam antea Christiani Ecclesiæ latinæ, permittentibus Aegyptijs, & Saracenis Urbis Hierosolymorũ dominis, prope Domini sepulchrum Cœ-

nobis duo construxerant, vnum viris, alterum foeminis excipiendis, qui sepulchri dominici visendi gratia, eò confluxerant: eaque domicilia nomini B. MARIAE Virginis, & B. MARIAE Magdalene dicauerant. Recepta Hierosolyma, ingens Christianos omnes sepulchri visendi cupiditate incelsit, Et cum ea cœnobis infinita hominum vndique confluentium multitudini nõ suppetere, hospitalis domus est addita, & in ea sacellum extructum S. Ioanni Baptistæ sacrum, & non vt alij putant, Sancto Ioanni Eleemosynario Patriarchæ Alexandrino, qui re vera fallitur, vt constat ex formula, qua professionem religionis milites emittunt. In eo igitur loco ex redditibus vtriusque cœnobij ijs, qui sepulchrũ adissent, ægotantibus res necessariæ subministrari sunt ceptæ, & Rector qui Cœnobij curam gereret institutus: qui deinde post aliquot annos vnã cum socijs suis habitum Religionis assumpsit; & hi postea rei militaris studio suscepto, peregrinos aduersus Saracenos tuebantur, & proinde Milites Hospitalarij, siue Hospitalenses, & Hierosolymitani, aut Sancti Ioannis nomine vocari ceperunt: atque hi Religiosorum Militum fuere omnium primi, ceperuntque circa annum 1106. à Honorij II. auctoritate anno 1124. confirmati sunt.

Præst toti huic ordini Magister, qui vocatur Magnus Magister, fuere Magistri in ordine hæcenus. 51. vsque ad Hugonem de Loubenx. Inter eos fuerunt duo S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Magistri ordinis, vnus electus, & factus Cardinalis à Sixto. III. alter à Sixto V. habet Magister annuos redditus ad onera sustinenda in viginti vnã, aut viginti duabus Commendis ordinis, quæ idcirco dicuntur Commendæ Magistrales. Habet locum tenentem, vel Vicegerentem. Constat totus Ordo octo linguis; hoc est, octo nationibus: nam Ordo Linguas appellat Nationes. Linguae sunt, Prouinciæ Alueriæ, Franciæ, Italiæ, Aragoniæ, sub qua Cathalonia, & Navarra continentur: Angliæ, sub qua Hibernia, Alemanniæ, sub qua Vngaria, Boemia, & Dacia intelliguntur: & Castellæ Legionis, & Portogalliæ. Post Magistrum sunt octo Dignitates, siue octo Baiulini Conuentuales, siue Capitulares, Magnus Commendatarius, Mariscallus, Hospitalarius, Admiratus, Magnus Conseruator, Turcopolerius, Magnus Baiulius, & Magnus cancellarius. Deinde sunt cæteri Commendatarij, qui dicuntur Priores, & Castellanus Empostæ. Porro Baiulini dicuntur administratores prædiorum, & rerum, quæ sunt ordinis.

Deinde Gelasio II. Apostolicam Cathedram tenente anno 1118. Templarij Milites Hierosolymis etiam esse ceperunt; qui quidem iuxta Christi sepulchrum commorantes, Christianos eò peregrè profectos hospitiõ excipiebant: exceptos armis accincti, per templa, & sacra loca comitabantur, ac deducebant, vt omnem Terram sanctam tutò viserent ac perlustrarent. Cuius pij officij auctores fuerunt nouem; qui quod in parte ædium Templi habitarent, Templariorum nomen inde sumpserunt. Eorum Ordo approbatus est ab Honorio II. anno Domini 1129.

Tertius ordo Sacrae Militiae, qui dicitur Theutonicorum Sanctae Mariae, ad Hospitalarios, & Templarios additus aduersus Saracenos, est institutus circa annum 1160. Nam eo tempore Germani aliquot viri, qui in Vrbe Hierosolyma, in quam Dominici sepulcri visendi gratia conuenerunt, Italarum & Francorum pietatem, & charitatem amulati; hospitem domum, & sacellum Sanctae MARIAE dicatum edificarunt, ad Theutonicae nationis homines excipiendos, & contra Saracenos defendendos. Coeperunt sub Alexandro III. anno 1164. Sed auctoritate Celestini Tertij anno 1192. confirmati fuerunt. Sunt enim hi Templariorum Regularum pariter, & Institutum professi.

Anno itam Dominicæ Incarnationis 1164. auctoritate Alexandri III. confirmatus est ordo Militum Calatrae. Hi consilio & opera cuiusdam Abbatis Cisterciensis, eum ordinem instituerunt: defenderunt enim contra Mauritanos, Arabes, siue Saracenos oppidum Calatrauam, quod Templarij Milites deseruerant, Saracenorum impetum minime sustinentes. Vnde imitari sacram Hospitaliariorum, & Templariorum militiam, sese tribus Religionis votis DEO obstrinxerunt ad pugnandum contra Saracenos. Summus totius ordinis Magister annum redditum percipere solebat trecentorum millium aureorum: & ordo potest & debet, vt Hispania Regi inferuiat, ad bella mittere equitatu trecentorum militum Religiosorum. In Prouincijs Castellana, Aragonensi, Valentina habet quas vocant Commendas, vt testatur Franciscus Rades de Andrada in Chronico ordinis cap. 9. centum & tres. Et eodem teste c. 32. habet beneficia. Ecclesiastica, qui Prioratus dicuntur, tredecim: Dignitates quinque post Magistrum ordinis, videlicet Commendatarium Magnū, Clauigerū, Priorem Conuentus, Sacristam Magnum, & Praefectum fabricae. Prior, qui Conuentui Calatrae si praest, est veluti generalis Parochus, curā habens omnium eorum, qui sunt ordini subiecti. Habet privilegio Romani Pontificis, insignia & iura Episcopi, quibus vitur in conuentu, & alijs Ecclesijs ordini subiectis, vt testatur praedictus Auctor Franciscus de Andrada, c. 7. Beneficia Regularia ordinis dantur Clericis professis religionis: qui vocantur Priores, aut Vicarij, aut Rectores, & alij Cappellani. Rectores habent curam animarum in ijs oppidis, quae sunt ordini subiecta.

Anno 1175. Religiosus ordo Militum S. Iacobi ab Alexandro Tertio confirmatus est: qui paulo ante Calatraensem ordinem fuerat institutus: non autem vt tradidere quidam, regnante Ramiro huius nominis primo in Regno Legionensi, nec item regnante Alphonso Magno, vt alij voluerunt. Nam in ipsa Constitutione Alexandri Tertij aperte dicitur, eum ordinem esse ante paucos annos fundatum, & erectum: praesertim cum instar Hospitaliariorum Templariorumque Militum ad defendenda oppida Christianorum in Regno Legionensi, & Castellano contra Saracenos institutus esse videatur. Fuerat tamen multis annis ante hunc ordinem instituta sodalitas quaedam eorum, qui Sancti Iacobi nomine sodales vocabantur: vnde factum

est, vt quidam putauerint, ab eo tempore ordinem huiusmodi militum coepisse, vt Franciscus Andrada in Chronico ordinis annotauit, Magister ordinis annuo redditum percipiebat trecentorum millium aureorum, & ex toto ordine possunt, & debent ad bella progredi trecenti equites Religionem professi. Habet item ordo in Prouincijs Castellana, Aragonensi, Valentina, Legionensi commendas octoginta tres, teste Francisco Rades de Andrada in Chronico ordinis, & praeter Commendatarios constat alijs multis equitibus Religionem professis, & Clericis ducentis. Ad Magistri electionem, & creationem conuocantur tredecim Commendatarij Equites: & ideo hi dicuntur habere Dignitatem in ordine. Eos conuocandi ius, & auctoritatem habet Prior, qui praest Conuentui, qui est principalis sedes ordinis: & is olim fuit inter duos Prioratus, quos habet praecipuos hic ordo, videlicet Sancti Marci in Regno Legionensi, & Vclesij in Prouincia Toletana, vter eorum haberet praedictum ius, & auctoritatem. His Prioratibus sunt subiecti alij conuentus. Habet duos Commendatarios Magnos, vnum in Castellano, Alterum in Legionensi regno.

Anno Domini 1320. creatum ordinem equitum in Lusitania a Dionysio Sexto Portugalliae Rege, qui vulgo dicuntur nomine CHRISTI, Ioannes vigesimus secundus, sua auctoritate confirmavit. Munificentia Regis habuit initio, quo est primum fundatus & institutus is ordo in Portugallia Commendas sedecim, teste Garibai in Chronico Regum Portugalliae in vita Dionysij Regis. Viget hic ordo tantum in Portugallia, habet quinque Dignitates post Magistrum ordinis, nimirum Commendatarium Magnum, Clauigerum, Priorem Magnum, Sacristam, & Praefectum fabricae, vt idem Autor proximè nominatus refert.

Anno Domini 1176. vel paulò ante ordo, Militum Alcantarae institutus esse memoratur, cum rerum in Castella Alphonso huius nominis octauus dominaretur, & Fernandus itidem Rex huius nominis secundus, Legionense Regnum teneret. Habet hic ordo teste Francisco Andrada, commendas triginta nouem, habet item Commendatarium Magnum, & Clauigerum.

Montesiae sacra Militia constituta fertur a regis Aragoniae auspicijs in Valentina Prouincia, & Ioannis xxii. auctoritate anno Domini 1317. confirmata; instituta est aduersus Mauros, qui Valentina littora infesta reddebant: ceteris sacris Militijs in Hispania Regum auxilio, & beneficio fundatis: censu quidem & opibus tenuior, sed virtute bellica non inferior. Porro in ordine Calatrae fuerunt, teste Francisco Andrada, Magistri vigintinouem. Et auctoritate Innocentij Octauij Ferdinandus Rex Catholicus, factus est perpetuus Administrator Ordinis, & tunc coepit ordo, non per Magistros, sed per reges Hispaniae Administratores perpetuos gubernari. Nā auctoritate Adriani VI. perpetua administratio Ordinis coniuncta est, cum regali dignitate regum Catholicorum Hispaniae. In ordine S. Iacobi fuerunt Magistri, vnum, & quadra-

ginta.

ginta: In ordine Alcantaræ fuerunt triginta sex, & auctoritate eiusdem Adriani VI. factum est, ut ait Franciscus Andrada, ut Catholicus Rex Hispaniæ, sit perpetuus Administrator horum duorum Ordinum eodem modo, quo est Ordinis Calatrauz.

Anno 1561. auctoritate Pij Quarti confirmatus est religiosus ordo Militum S. Stephani, sub regula S. Benedicti viuentium, à Colmo Medice Florentino, & Senarum Duce creatus: Cuius ordinis Magister est Dux ipse Florentiæ. Porrò instituta est hæc sacra Militia instar aliarum, quæ in Hispanijs, & alijs in locis erectæ fuerant ad fidem, & ad loca maris Mediterranei à Turcis, & Saracenis defendenda. Et Dux ipse annuos redditus, & alia bona ordini concessit, ex quibus commodè milites sustentarentur, & viuerent. Ex bonis itidem militum plures fundatæ, erectæ, & constitutæ sunt, quæ vocantur Commendæ. Nam ipse Dux Florentiæ, à Pio Quarto impetrauit, ut qui sua sponte vellent, ordini bona relinquerent, ex quibus Commendæ auferrentur. Veniunt præfati ordinis milites nigra veste cum cruce rubra: Commorantur Pisis, & insulam Helbam, suæ fidei, & custodiæ commissam habent.

Tertio queritur, An Simonia peccatum committatur, in admittendis equitibus ad prædictos Sacrorum militum ordines, vel ad habitum ordinum suscipiendum, vel in conferendis, vel in permutandis, deponendisue annuis ipsorum ordinum redditibus, quæ Commendæ dicuntur, pretio dato, & accepto? Sunt enim qui id negent; Primum, quia, ut supra diximus, prædicti ordines militares, non sunt absolute, & simpliciter religiones, ergo quamuis pretium detur, quo quis in ordinem cooptetur, Simonia minime committitur. Deinde, quia annui redditus, qui militibus commendantur, non sunt proprie Ecclesiastica beneficia, sed subsidia, & quasi stipendia, & alimenta militaria: ergo quamuis pretio conferantur, permutentur, deponantur, redimantur, nulla inde contrahitur Simonia labes.

At verior est opposita sententia, nempe, Simonia crimen eos incurrere, qui hæc pretio hinc inde dato, & accepto faciunt. Sciendum est, huiusmodi Ordines aliquos, quod attinet ad milites, etsi proprie, & simpliciter Religiones non sint, auctoritate tamen Pontificia multis Ecclesiasticis privilegijs, ac immunitatibus gaudere; ut constat tum ex Constitutionibus, tum etiam ex Litteris, & Privilegijs Pontificum Romanorum, quibus sunt ab eis approbati, confirmati, auctiq; & propagati: quo fit, ut Simonia labe inficiatur ingressus in aliquem horum ordinum militarium, dato, & accepto pretio, cum eiusmodi ingressus adiuncta, & annexa sibi habeat iura, & privilegia multa Ecclesiastica. Item, si pro susceptione habitus militaris, pretium detur, vel accipiat, Simonia committitur, quia habitus susceptio dat ius ad multa Ecclesiastica privilegia, & immunitates ordinis. Ergo si supremus ordinis magister, aut Præfectus, vel Administrator perpetuus, pecunia aliquem in ordinem suum admittat, incidit in Simonia crimen. Item, si pecuniam, ut pretium accipiat ex hoc, quod an-

nuos certos redditus ordinis, quæ Commendæ dicuntur, alicui conferat; item, si pretium accipiat, ex hoc, quod pensionem in certis quibusdam redditibus impositam, iuxta ordinis statuta alicui prædictis Militi cõcedat. Nec miles cõmendatarius auctoritate propria, sine Magistris consensu potest redditus sibi Commendatos, cum redditibus alterius militis commutare. Rursus, si tacite pecuniam accipiat ex hoc, quod commutat suos redditus, hoc est, Commendam, cum redditibus, hoc est, cum Commenda alterius, Simonia peccatum admittit.

Iure tamen potest ipse ordo pensiones imponere in ipsis commendis ad onera ordinis sustinenda: quia hoc nihil aliud est, nisi reservare certam pensionem fructuum, qui ex commendis percipiuntur quotannis. Potest Ordo cõmendas diuidere, minuere, augere, multiplicare, coniungere, prout communi totius religionis bono iudicauerit expedire. Hoc enim concessum est huiusmodi ordinibus auctoritate Romanorum Pontificum. Quæres, quid sit iudicandum de ijs, qui pecuniam accipiunt pro precibus, quibus primum aliquem virum rogant, ut eius suasionem, prece, rogatu, & opera Magister, aut perpetuus ordinis Administrator alteri religionis habitum, aut certos annuos redditus concedat? Respondeo, Simonia crimen committi, si precium detur ei, cuius est religionis habitus, vel redditus conferre, quoniam precium datur, & accipitur pro habitu, vel redditibus obtinendis. Et quia vna cum habitu, vel redditibus, siue Commendis certa iura, & privilegia Ecclesiastica acquiruntur; ideo in eis est aliquid spirituale. An verò Simonia contrahatur, si detur pecunia pro precibus, quibus per intermedios precatore, curat quis habitum ordinis, vel Commendam obtinendam, aut reuera eam impetrat, non est, cur in præfati dicamus. Sed de hac quaestione alio in loco commodius differemus.

Quarto queritur, An matrimonium ratum, & non cõsummatum dirimatur per solemne votum, quod faciunt Sacri milites S. Ioannis? *Sot. in 4. d. 27. q. 1. a. 4. & lib. de iust. 7. q. 5. a. 3.* videtur docere non dissolui: nam primum dubitat, num per huiusmodi votum dirimatur, sed postea censet non solui, eo quod putat religiones militares non esse verè, & simpliciter religiones. Sed *Nauiar. consil. 1. de conuers. coniugat.* docet per huiusmodi votum dirimi. Et ita dicendum est, quia reuera, est solemne votum religionis approbatæ. Et huiusmodi milites solemnem professionem approbatæ religionis emittunt. Et ita aliqui referunt in Hispania Consilio virorum sapientium quoddam matrimonium ratum, & non consummatum iudicatum fuisse, ut solummodo quod vir religionis S. Ioannis fuerat solemni voto professus. Nec obstat, quod Romanus Pontifex possit iustis de causis concedere, ut miles religionem professus, uxorem ducat: quoniam, ut ante dixi, potest solenne votum religionis iusta de causa relaxare, & tunc religiosum à religionis vinculo soluit. Nec propterea sequitur, ut quis simul duas uxores habere queat, quia matrimonium ratum, & non cõsummatum solum est, per solemnem religionis professionem, per quam quis spiritualiter moritur.

Quinto queritur, An præter religiosos, & sacros equitum ordines iam supra memoratos, sint alij ordines? Respondeo esse alios ordines, qui nullo modo sacri religiosi sunt, sola videlicet regum, & Principum auctoritate instituti, nulla Romani Pontificis approbatione confirmati, & propterea istis nullis Ecclesiæ privilegijs potiuntur, nisi ijs, quæ habent speciali Romani Pontificis beneficio. Qui quidem equites vulgò Torquati dicuntur, eo quòd torquæ aureum deferant collo dependentem. In Anglia Eduardus Rex anno Domini 1350. pia quadam æmulatione ductus, certum quendam Equitum Garteriorum, numero sex, & viginti ordinem creauit, quorum princeps erat ipse Rex Angliæ. Vtuntur cœruleo pallio, & crus sinistram cingunt infra genas funiculo fibulato, gemmis, & auro ornato: à quo habitu, nomen datum est toti ordini: nam GARTER Anglica lingua significat per seclidem; in eoque scribunt Gallicis verbis: VITPERETVR QVI MALE COGITAT. Cuius instituendi ordinis causam, & originem taceo, tanquam vulgò notissimam.

Paulo ante in Francia Rex Ioannes instituerat ordinem Equitum, quibus vulgò nomen erat Equites stellæ, eo quòd in pallio stellam depictâ gestarent, in qua erat scripta hæc verba: MONSTRANT REGIBVS ASTRA VIAM. Erat enim ordo tribus Magis regib. dicatus: hic tamè ordo extinctus est.

Sub idem tempus Amedius VI. Comes Sabaudie erexit ordinem Equitum, ab Annunciatione B. Virginis nomen sortitum; torquem aureum isti pendente è collo deferunt, laqueis quibusdam, & quatuor literis identidem in sculptis F. E. R. T. quarum literarum sensus est: Fortitudo Eius Rhodum tenuit. Est enim hic ordo institutus in memoriam Amadei I. Comitis Sabaudie, qui fortiter Rhodum Insulam contra Turcarum impetum defendit: è torque collum circumdante pender Imaguncula Annunciationis B. Virginis.

In Hispania anno 1363. Alphonus Rex Castellæ regis Ferdinandi filius, Brugis instituit ordinem Equitum sub hoc vulgari nomine. DELABANDA cuius ordinis Princeps, & Magister erat ipse Rex: gestabant hi Equites pannum rubrum tribus digitis latum, quem instar stolæ, qua Diaconi vtuntur supra humerum sinistru ponebant, porrectum vsque ad latus dextrum. Hic ordo Equitris amplius non extat. In Burgundia anno Domini 1429. Philippus Burgundie Dux instituit Ordinem Equitum, quem vulgari lingua appellant DEL TOSON: quorum Princeps fuit ipse Philippus Dux: & proinde huiusmodi Principatus transijt ad familiæ Austriacæ Imperatorem Carolum Quintum, & ita hodie est penes Philippum II. Hispaniarum regem, filium eius, tamquam Burgundie Ducem. Constat hic Ordo Equitibus vno circiter, & triginta: deferunt torquem aureum, in quo insculpta sunt Ducis Burgundie insignia.

In Gallia anno Domini 1469. Ludouicus XI. Rex Francorum, Ordinem Equitum instituit, cui nomen est Sancti Michaelis. Institutus est hic Ordo in memoriam Caroli VII. Francorum regis, cuius filius fuit ipse Ludouicus. Nam Carolo Aurelianensem Urbem defendenti ad

uersus Anglorum impetum, apparuit Archangelus Michael, cuius ope, & auxilio mirabiliter de hostibus triumphauit, vt proinde huius ordinis Equites ab eo Rege instituti, deferant aureum torquem collo appendum, à quo pender Imago S. Michaelis insculpta.

Cap. VII.

Nonnulla de Societate Iesu auctoritate Pontificia confirmata ponuntur.

Societatem Iesu auctoritate Pontificia confirmauit Paulus III. vt constat ex diplomate Pontificio anno Domini 1540. 5. Kal. Oct. & alio diplomate eiusdem Pauli III. anno Domini 1543.

Institutum Societatis Iesu approbat, & declarat Iulius III. in diplomate Pontificio, quæ sic habet.

IVLIVS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Exposuit debitum pastoralis officij, cui nos, licet immeritos, prætulit diuina Maiestas: vt fideles quoslibet præserim religiosos, in via mandatorum Domini ad illius honorem, & gloriam, & proximorum spiritualem profectum deambulantes, paternis consueamus affectibus, vt fideles ipsi, dextera Domini sibi assistente propria, aterna salutis præmium feruentius exquirant, & in eorum pio proposito, conuolantur. Dudum siquidem, per felicis recordationis Paulum Papam Tertium prædecessorem nostrum, accepto, Quod dilecti filij, Ignatius de Loyola, & Petrus Faber, ac Iacobus Laynez, necnon Claudius Iaius, & Paschasius Broet, ac Franciscus Xauier, necnon Alfonso Salmeron, & Simon Rodericus, ac Ioannes Coduri, & Nicolaus de Bobadilla, presbyteri, Pampilonen. Gebeman. Seguntin. Toletan. Visen. Ibredinen. & Palentin. ciuitatum, & dice. in Artibus magistri, in Vniuersitate Parisien. graduati, & in Theologicis studijs, per plures annos exercitati, Spiritu sancto afflari, iam dudum è diuersis mundi regionibus decedentes, in vnum conuenerant: & exemplari, ac religiosa vita Socij effecti, abdicatis huius sæculi illecebris, eorum vitam perpetuò Domini nostri Iesu Christi, atque suo, & successorum suorum Romanorum Pontificum seruitio dedicauerant: & iam pluribus annis verbum Dei prædicando, & fideles priuatim ad pias meditationes, beneque, ac beatè viuendum excitando, hospitibus inferuendo, pueros, & alios rudes salubria dogmata, ad Christiani hominis institutionem necessaria docendo, ac denique omnia caritatis officia, quæ ad animarum edificationem pertinebant, vbique terrarum, vbi peregrinati fuerant, quisque iuxta traditam sibi ab ipso Spiritu sancto gratiam multa cum laude obeundo, laudabiliter in vinea Domini se exercuerat, eorum institutum, sub quadam viuendi formula ab ipsis edita, Euangelica veritati, & sanctorum conformi, vt vinculum caritatis, & vno in ipsis quidem Socijs, & alijs, qui prædictum vellent institutum sequi, conseruarentur, approbavit, & confirmavit, & benedixit: ipsosq; Socios, quorum numerum, non vltra sexaginta esse tunc voluit, sub sua & Apostolica sedis protectione suscepit, illisque condendi Constitutiones, & sta-

tuta quacunque ad ipsius, sic instituta, & confirmata Societatis conseruationem, & felicem progressum, licentiam concessit per quasdam. Cumque postmodum progressu temporis Spiritu sancto cooperante, ex Societate predicta Spirituales animarum fructum crescere, & multos, qui institutum predictum sequi vellent, in Parisien. & alijs generalium studiorum Vniuersitatibus, studere intellexisset idem praeceptor, Ignatij, & aliorum Sociorum predictorum piam vitam, & doctrinam attendendo, eidem Societati, vt quoscunque alios idoneos, & iuxta suas Constitutiones, probatos libere admittere possent, concessit. Et nihilominus, vt Coadiutores tam Presbyteros, qui in spiritualibus, quam laicos, qui in temporalibus, & domesticis officijs eos adiuuarent, qui quidem Coadiutores per actus probationibus, iuxta Constitutiones Societatis, huiusmodi requisitis, ac maiorem deuotionem suam, & meritum, etiam tria vota, Paupertatis videlicet, Castitatis, & Obedientiae possent emittere, non solemniter, sed quibus, pro eo tempore, qua Praepositus Generalis Societatis predictae eius, in ministerio spirituali, vel temporalis vtendum iudicaret, adstringerentur: quique omnium bonorum operum, qua in dicta Societate fierent, ac meritum omnium, participes fierent, perinde, vt qui solemnem professionem, in eadem Societate emisissent, possent assumere; & alias gratias, ac priuilegia ad fouendam, & adiuuandam in ijs, qua ad Dei honorem, & animarum salutem pertinebant, Societatem predictam, de benignitate Apostolica concessit. Vt autem predicta omnia prius ab eodem praedecessore concessa, magis confirmarentur, & simul omnia, qua ad institutum predictae Societatis pertinent, eidem in literis aliarum summam continentibus comprehendantur, & vt aliqua obscurius dicta, & qua scrupulum, ac dubitationem possent iniecerit, per nos exactius explicentur: nobis fuit humiliter supplicatum, vt formulam, qua predicta Societatis institutum, exactius, & distinctius, quam antea, edocente experientia, ac vsu rerum, expressum, eodem tamen spiritu, comprehenditur, confirmare dignaremur, cuius tenor sequitur, & est talis. Quicumque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub Crucis vexillo Deo militare, & soli Domino ac Ecclesia ipsius sponsa, sub Romano Pontifice, Christi in terris vicario seruire, post solemnem perpetuae Castitatis, Paupertatis, & Obedientiae votum, proponat sibi in animo, se partem esse Societatis, ad hoc potissimum institutum, vt ad fidei defensionem, & propagationem, & profectum animarum in vita, & doctrina Christiana, per publicas praedicationes, lectiones, & aliud quodcunque verbi Dei ministerium, ac spiritualia exercitia, puerorum, ac rudium in Christianismo institutionem, in Christi fidelium in confessionibus audiendis, ac ceteris Sacramentis administrandis, spirituales consolationem praecipue intendat: & nihilominus ad disidentium reconciliationem, & eorum, qui in carceribus, vel

in hospitalibus inueniuntur, piam subuentionem, & ministerium, ac reliqua caritatis opera, prout ad Dei gloriam, & commune bonum expedire visum erit, exequenda gratis omnino, & nullo, pro suo in dictis omnibus labore, stipendio excepto, se vilem exhibeat; curetque primo Deum, deinde huius institutionem, qua via quadam est ad illum, quoad vixerit, ante oculos habere: & finem hunc sibi a Deo propositum totis viribus assequi, vnusquisque, tamen secundum gratiam sibi a Spiritu sancto subministratam, & vocationis suae proprium gradum. Ideoque, ne quis forte zelo vtatur, sed non secundum scientiam, proprii cuiusque gradus iudicium, & officiorum discretio, ac distributio tota, sit in manu Praepositi generalis, seu Pralati, per Nos quocumque tempore, eligendi, vel eorum, quos ipse sibi eadem auctoritate substituerit, vt congruus Ordo seruetur in omni bene instituta communitate necessarius. Qui quidem Praepositus de consilio consociorum, Constitutiones ad constructionem huius praepositi nobis finis conducentes condendi, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente, & qua dubia esse poterunt, in nostro instituto hac formula comprehenso, declarandi auctoritatem habeat: Consilium verò necessario conuocandum ad condendas, vel immutandas Constitutiones, & alia grauiora, vt alienare vel dissolueret domos, ac Collegia semel erecta, intelligatur esse maior pars totius praepositi Societatis (iuxta Constitutionum nostrarum declarationem) qua sine magno incommodo potest a Praeposito generali conuocari. In alijs, qua non ita magni momenti sunt, idem Praepositus adiutus, quatenus ipse opportunum iudicabit, fratrum suorum consilio per seipsum ordinandi, & iubendi, qua ad Dei gloriam, & commune bonum pertinere in Domino videbuntur, ius totum habeat, prout in constitutionibus eiusdem explicabitur. Quicumque autem in hac Societate professionem emisserint, non solum in primis professionis suae scribis intelligant, sed quoad vixerit, memores sint, Societatem hanc vniuersam, & singulos, qui in ea profitentur, sub sanctissimi Domini nostri Pauli Pape Tertij, & aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fideli obedientia Deo militare. Et quamuis Euangelio doceamur, & fide orthodoxa cognoscamus, ac firmiter teneamus, omnes Christi fideles Romano Pontifici, tanquam capiti, ac Iesu Christi vicario subesse: ob deuotionem tamen maiorem Sedis Apostolicae, & maiorem voluntatum nostrarum abnegationem, & certiores sancti Spiritus directionem, summo potest condocere iudicauimus singulos nos, & quicumque eandem in posterum professionem emisserint, vltra illud commune trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto astringi: vt quidquid modernus, & alij Romani Pontifices, pro tempore existentes iusserint ad praepositi animarum, & fidei propagationem pertinet, & ad quascumque prouincias nosmittere voluerint, sine vlla tergiversatione, aut excusatione illud, quantum in nobis fuerit, siue nos ad Turcas, siue ad quos-

cunque alios infideles, etiam in partibus, quas Indas vocant, siue ad quoscumque Hæreticos, Schismaticos, seu etiam ad quosuis fideles, mittendos censuerit, exequi teneamur. Quãobrem qui ad nos accessuri sunt, antequã huic oneri humeros supponant, diu multumq; meditentur, an tantum pecunia spiritualis in bonis habeant, ut turrum hanc iuxta consilium Dominicum possint consummare: hoc est, an Spiritus sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratia polliceatur, ut huius uocationis pondus, illo adiuuante, se laturos sperent: & postquam, Domino inspirante, huic Iesu Christi militia nomen dederint, die noctuq; succincti lumbos, & ad tam grandis debiti solutionem, prompti esse debeant. Ne qua aut possit esse inter nos missionum, aut prouinciarum huiusmodi ambitio, vel detrectatio, intelligant singuli, sibi per se, vel alium, de huiusmodi missionibus, quidquam cum Romano Pontifice, non esse curãdum; sed omnem hanc curam Deo, & ipsi Pontifici tanquam eius vicario, & Societatis Prapósito dimittebam: cui quidem Prapósito, sicut cæteris, nihil de sui ipsius missione in alterutra parte, nisi de Societatis consilio, cum dicto Pontifice curandum erit. Voueant etiã singuli, se in omnibus, quæ ad regulæ huius nostræ obseruationem faciunt, Societatis Prapósito: qui ad hoc manus, quam fieri possit idoneus, ad plura vota, prout in Constitutionibus declarabitur, eligeretur, obedienter fore. Ille autem, omnem eam auctoritatẽ & potestatem habeat supra Societatem, quæ ad bonam eiusdem Societatis administrationem, correctionem, & gubernationem utilis erit. Tubeat autem ea, quæ ad constructionem propositi sibi à Deo, & à Societate suis cognouerit esse opportuna: & in pralatione sua benignitatis ac mansuetudinis, caritatisq; Christi, Petri, Pauliq; formula semper sit memor: & tam ipse, quàm consilium prædictum ad normam hanc assidue spectent. Singuli uero subditorum, tum propter ingentes ordinis utilitates, tum propter nunquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, non solum Prapósito in omnibus, ad institutũ Societatis pertinentibus, parere semper teneantur; sed in illo, Christum ueluti presentem agnoscant, & quantum decet, uenerentur. Cum autem experti fuerimus iucundiorẽ, puriorem, & ad proximam adificationem aptiorem esse vitam, ab omni auaritiæ contagione, quàm remotissimam: & Euangelicam paupertatis quàm simillimam: cumq; sciamus Dominum nostrum Iesum Christum seruũ suũ regnum Dei solum inquirentibus, necessariã ad uictum, & uestitum esse subministraturum; sic uocauit singuli, & uniuersi perpetuam paupertatem, ut non solum priuatum sed neq; etiam communitatem possint Professi, vel vlla eorum Domus, aut Ecclesia ad aliquos prouentus, redditus, possessiones, sed nec ad vlla bona stabilia, præter ea, quæ opportuna erunt ad usum proprium, & habitationem, retinenda, us aliquod civile acquirere, rebus sibi ex caritate donatis, ad necessarium uitæ usum contenti. Quia tamen Domus, quæ Dominus dederit, ad operandum in uinea ipsius, & non ad

scholastica studia exercenda destinanda erunt: cum valde opportunum fore alioqui uideatur, ut ex iuuenibus ad pietatem propensis, & ad literarum studia tractanda idoneis, operarij eidem uinea Domini parentur, qui Societatis nostræ, etiam professa, uelut quoddam seminarium existant; possit professa Societas ad studiorum commoditatem, Scholarium habere Collegia, ubi, cumq; ad ea construenda, & dotanda, ex deuotione aliqui mouebuntur: quæ simul atque constructa, & dotata fuerint, (non tamen ex bonis, quorum collatio ad sedem Apostolicam pertinet) ex nunc auctoritate Apostolica erigi supplicamus, seu pro erectis haberi: quæ Collegia possint habere redditus, census, seu possessiones, vsibus, & necessitatibus studentium applicandas, retenta penes Prapositum, uel Societatem omnimoda gubernatione, seu superintendentia, super dicta Collegia, & prædictos studentes, quoad Rectorum, seu gubernatorum, ac studentium electionem, ac eorundem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem, & circa studentium instructionem, eruditionem, adificationem, ac correctionem, uictum, uestituq; & aliarum rerum necessarium eis ministrandarum modum, atq; aliam omnimodam gubernationem, regimen, ac curam, ut neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas professa in propriis vsibus conuertere possit, sed studentium necessitati subuenire: Qui quidem studentes ingenij, & morum in doli tales esse debeant; ut meritis speretur, post absolutam studia ad Societatem functionem idoneos fore: & sic demum post cognitum in spiritu, & literis eorum profectum, & post sufficientem probationem in Societatem nostram admitti possint. Socij autem omnes cum presbyteri esse debeant, ad dicendum officium secundum communem Ecclesiarum, sed priuatum, & non communiter, uel in choro, teneantur: & in his, quæ ad uictum, & uestitum, & cætera exteriora pertinent, honestorum sacerdotum communem, & approbatum usum sequantur: & quod inde pro cuiusque necessitate, uel spirituali profectu desiderio subtrahitum fuerit, ex deuotione, & non ex obligatione, rationabile obsequium corpori Deo, prout expediet, offeratur. Hac sunt, quæ sub præfati Domini nostri Pauli, & sedis Apostolicæ benedictione, de nostra professione, typo quodam explicare potuimus, quod nunc fecimus, ut summam informarem, tum illos, qui nos de nostro uita instituto interrogant, tum etiam posteros nostros, si quos Deo uolente imitatores, unquam habebimus huius uita, quàm cum multis, magnasq; habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum iudicauimus, etiam statuere, ne quis ad professionem, in hac Societate emittebam, nisi diuturnis, & diligentissimis probationibus, prout in Constitutionibus declarabitur, eius uita, & doctrina explorata fuerit, recipiatur: quia uera, hoc institutum omnino uimiles & prudentes in Christo, & in Christiana ui-

te puritate, ac literis conspicuos exigit. Immo, & qui in Coadiutores, tam in spiritualibus, quam in corporalibus, & in Scholares admittentur, quorum viris, post sufficientes probationes, & tempus in constitutionibus expressum, vota sua ad deuotionem, et meritum manus, non quidem solemniter, prater aliquos, qui de licentia Praepositi Generalis propter ipsorum deuotionem, & personarum qualitatem, tria vota huiusmodi solemniter facere poterunt, sed quibus teneantur, quamdiu Praepositi Generalis in Societate eos retinendos esse censuerit, emittere debeant, prout in Constitutionibus latius explicabitur, non nisi diligenter examinati, & idonei reperti, ad eundem finem Societatis, admittantur ad hanc Iesu Christi militiam, qui tenuibus captiui nostrum fauere dignetur, ad gloriam Dei Patris, cui soli sit semper decus, & honor in secula, amen. Quapropter considerantes, nihil, quod pium, sanctumque, non sit, in dicta Societate, eiusque, laudabilibus institutis, ac exemplari ignatij, & aliorum Sociorum praedictorum vita, & moribus reperiri; eoque, omnia ad suorum, & aliorum Christi fidelium animarum salutem, & fidei exaltationem tendere; Socios, ac illorum Coadiutores praedictos, & ipsius Societatis Scholares, a quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & poenis a iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latas, si quibus quomodolibet innotati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, illosque, sub nostra & Apostolica sedis protectione suscipientes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, erectionem, & institutionem Societatis, ac extensionem numeri illius Sociorum, ac receptionis, & admissionis Coadiutorum, ac omnia, & singula, Præiulia, immunitates, exceptiones, libertates, & condendi, & alterandi statuta, & ordinationes, ac alia quauis indulta eisdem, Societati, & illius Praeposito, per praedecessorem nostrum, & sedem huiusmodi, sub quibuscunque tenoribus, & formis concessa, & confirmata, ac desuper consecras, tam sub plumbo, quam in forma breuius literas, & in eis contenta, ac inde secuta quacunque, perpetuo approbamus, & confirmamus, ac eis perpetua firmitate robur adhibemus, supplet omnes & singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui interuenerint in eisdem. Eaque, omnia & singula perpetuo & inconcussa firmitate robur obtinere, & inuolubiliter obseruari debere, & sic per quoscunque, Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cui libet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, interpretari, atque decideri debere; necnon quidquid secus super his, per quoscunque, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, & declaramus. Quocirca vniuersis & singulis venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus & alijs personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet

bet per se, vel alium, seu alios praefatis Praeposito, & Societati in praesens, efficacia defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra singulas praedictas, & praesentes literas plenam effectum sortiri, ac ab omnibus inuolubiliter obseruari: non permittentes quemquam contra illarum tenorem quomodolibet indebitum molestari: contra dictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, comescendo, ac censuras praedictas legitimis super his habendis seruatis processibus, etiam iteratis vicibus aggerrando: inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis: Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, & singulis, qua in literis praedictis idem praedecessor noster voluit non obstare, ceterisque, contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus comuniter vel diuisim ab Apostolica sede indultum: quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, suspensionis, approbationis, confirmationis, adiectiouis, suppletionis, decreti, declarationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Roma apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, M. D. L. duodecimo Kal. Augusti: Pontificatus nostri Anno primo.

Contra Apostatas, hoc est, desertores Societatis, censuras, & poenas constituit Pius V. in diplomate Pontificio, quod habet in hunc modum:

PIUS Episcopus seruus seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Aequum reputamus, et rationi consonum, ut ea, quae de Romani Pontificis gratia praecesserunt, licet eius superueniente obitu litera Apostolica super illis consecra non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem fel. record. Pio Papa IV. praedecessori nostro, pro parte carissimi in Christo filij nostri Iñc. sui, Sebastiani Portugalliae & Algarbiorum Regis illustris, ac dilectorum filiorum Praepositi Generalis, & Religiosorum Societatis Iesu exposito, quod licet alias pie memoriae Paulus Papa III. etiam praedecessor noster, in suis, dictarum Societatis fauore inbibisset; ne quis post emissa vota in dicta Societate, secundum illius constitutiones siue Professus, siue Scholares, siue Coadiutor Societatis huiusmodi ille esset, ad quemuis alium ordinem, etiam per sedem Apostolicam approbatum (ordine Carthusiensium dumtaxat excepto) nisi de expressa ipsius Praepositi, aut sedis licentia transferri posset. Volens & concedens, quod Generalis, & alij inferiores Praepositi dictae Societatis, per se, vel per alios, sic egressos, ac alios quoscunque dictae Societatis Apostatas, in quocunque habitu illos contigerit inueniri, excommunicare, capere, & in carce.

& incarcerare, aut alias sua disciplina submittere;
 & ad id, si opus foret, auxilium brachij secularis in
 uocare, liberè, & licitè valeret, prout in ipsius Pau
 li prædecessoris literis de super confectis plenius dice
 batur contineri; ac inhibito, voluntas, & concessio
 Pauli prædecessoris huiusmodi, quæ tranquillita
 tem, conseruationem, & commune bonum dictæ So
 cietatis concernebant, ab omnibus illius Religiosis
 humiliter seruari debuissent: nihilominus nonnulli
 animi leuitate, vt credebatur, ducti, ac quietem la
 bori, cui proculdubio Religiosi Societatis huiusmo
 di, pro excolenda & propaganda Christiana Reli
 gione continuè erant expositi, ac priuatum commo
 dum, publicè, tam dictæ Societatis, quàm Christia
 na reipubl. vtilitati indiscretè præferentes, fua
 tisq; coloribus asserentes, se id facere ob frugem me
 liorù vitæ, aut strictioris obseruatiæ, seu nõ obdeta Sa
 periorum licentiã, ad alios etiam fratrum Mendican
 tum ordines transire posse iactabant, & forsã ali
 qui factò iam transierant. Alij verò (quod turpius e
 rat) ambitiosæ cupiditate moti postquam se Deo ad
 diderant; seculi libertatem quarerentes, ad illud re
 uerti, & in illo palam degere non dubitauerant, nec
 dubitabant, in animarum suarum detrimentum, ac
 Societatis prædictæ non modicam præiudiciũ, &
 iacturam. Et nisi opportuno aliquo remedio, dictæ
 Societatis indemnitati, tranquillitati, & conserua
 tioni consulere tur, verendum erit, ne Societas ipsa,
 qua in erudiendis, & docendis viris, qui Christiano
 Reipub. per verbi Dei prædicationem prodesse, &
 Catholicam fidem in remotissimam etiam Brasilia
 partibus propagarent, & seminarent, sedulo inten
 debat; taliter delecta, & destrudata viris sua impen
 sa, & labore eductis, careret literatis, qui operam in
 vinea Domini, iuxta ipsius Societatis instituta, mo
 remq; præstari, & exerceri solitam, valeret adim
 plere. Idcirco pro parte, tam Sebastiani Regis, se &
 Religiosorũ Societatis huiusmodi opera & doctrina
 plurimũ vti asserentis, quã Præpositi Generalis, ac
 Religiosorum præfatorũ, eidem Pio prædecessori, hu
 militer supplicato, quatenus ipsius Societatis quieti
 & conseruationi prospicere, ac alias in præmissis op
 portunè prouidere de benignitate Apostolica digna
 retur: præfatus Pius prædecessor, qui votis illis, quã
 dictæ Religionis profectum concernebant, Catholi
 cis Regibus præsertim instantibus, gratum præbere
 solebat assensum, eosdem Sebastianum Regem, ac
 Præpositum, & vtrumq; eorum, à quibusus excom
 municationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ec
 clesiasticis sententijs, censuris, & penis, à iure, vel ab
 homine quauis occasione vel causa latis, si quibus
 quomodolibet immodati existerent, ad effectum in
 frascriptorum dumtaxat consequendum, absoluens
 & absolutos fore censens: necnon veriores litera
 rum Pauli prædecessoris, ac Constitutionum Socie
 tatis prædictarum tenores: nec non modum, formã,
 & qualitates votorum, in ipsa Societate, tam per
 professos, quàm Coadiutores, & Scholares suos hu
 iusmodi emitti solitorum, pro expressu habens, hu
 iusmodi supplicationibus inclinatus, sub Dat. vide

licet sexto Kalend. Decembr. Pontificatus sui anno
 sexto: quod nullus dictæ Societatis Religiosus in li
 teris Pauli prædecessoris huiusmodi expressu, post
 emissa vota secundum illius Constitutiones, sine
 Professus, sine Scholares, sine Coadiutor, vniuscunq;
 status, gradus, ordinis, vel conditionis ille foret, a
 dicta Societate exire, aut recedere, etiam præte
 xtu cuiusvis indulti, ab eodem Pio prædecessore, vel
 alio Romano Pontifice pro tempore existente, seu
 illius maiore Pænitentiario, aut aliquo Nuntio, vel
 Legato, etiam de latere impetrati, vel impetrandi;
 quod etiam ex tunc surreptitum idem Pius præde
 cessor declarauit, absq; expressa Superiorum sui li
 centia ad id ab eo specialiter obiecta, etiam quosq;
 to colore ob frugem melioris vitæ, aut strictioris ob
 seruatiæ, ad quemvis alium, etiam diuionum, vel
 aliorum fratrum Mendicantium, aut Cisterciensium,
 vel Sancti Benedicti, aut aliorum Monacho
 rum ordinem transire, vel etiam per Superiores
 ordinum huiusmodi, suorumq; Monasteriorum
 (præfato ordine Carthusiensium dumtaxat exce
 pto) recipi, seu admitti posset, seu præsumeret, sub
 pena excommunicationis tam per recipientes
 quàm receptos, ac recedentes præfatos ipso facto
 incurrenda, & quam idem Pius prædecessor, ex
 tunc contra quemlibet transgressorum quomodoli
 bet in præmissis protulit, & a qua sic inmodatè
 præterquam in mortis articulo ab alio, quàm à Ro
 mano Pontifice, vel Superiore Societatis huiusmo
 di, absoluti non posset. Quodq; nihilominus seculis
 facta non tenerent, & nullius existerent effectus, v
 l momenti. Et insuper, vt qui pro tempore ab ipsa So
 cietate ad Carthusiensium præfatum, vel de Super
 ioribus licentiã, ad alium ordinem transire vellet,
 ad Carthusiensium videlicet, infra tres menses, a
 die, quo ab Societate recessisset, ad alium verò or
 dinem infra tempus eũ à dicto Superiore prægen
 dum accedere, illisq; actualiter ingreât, & in illi
 us permanere nollent, aut non possent, absq; vlla mo
 ra ad dictam Societatem regredi: tenerentur, sub
 pena excommunicationis præfata, quã tantum ipse
 Religiosi, quàm illos recipientes, vel eu auxilium
 consilium, vel fauorem præstantes, etiam incurre
 rent. Et nihilominus si quis ex Religiosis præfatis
 animo indurato aliquid in contrarium attemptare
 præsumeret, vel à dicta Societate, post in ea emissa
 vota, vt præfertur, absq; Superioris licentiã exi
 ret, & in seculo, vel alio etiam Regulari loco dege
 re præsumeret; liceret dicto Generali, alijsq; dictæ
 Societatis Præpositis, & Superioribus, eosde trans
 gressores, & exequentes, tanquam Apostatas, etiam
 per auxilij secularis brachij inuocationem, sum
 marie, & sine sigar iudicij, ad dictam Societatem
 reuocare, capere, & incarcerare, ac debita pæni
 tentia subijcere, auctoritate Apostolica, perpetuò sta
 tuit, ordinauit, præcepit, atq; mandauit. Ac insuper
 eidem Societati, illiusq; Generali, ac alijs Præpositis
 & singularib. personis, q; omnibus & singulis priuile
 gijs, libertatibus, immunitatibus, fauoribus, gratijs
 & indultis p quosq; Rom. Pontific. prædecessores su

os, singulorum Mendicantium fratrum ordinibus, illorumq; Superioribus, & Fratribus, in genere, vel in specie, etiam super suis Religiosis alterutrum, non recipiendis quomodolibet concessis, & approbatis, ac quibus illi vtebantur, potiebantur, & gauderent, vti potiri, & gaudere, libere, & licite valerent, eadem auctoritate concessit, & indulgit. Et sic in pramissis omnibus, & singulis per quoscunq; Iudices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuiuslibet, quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & deserviri debere. Ac qui quid fecerit super his, a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contingeret irritum, & inane decrevit. NON obstantibus pramissis, ac recolenda memoria Innocentij Papa III. similiter predecessoris nostri, qua incipit, Licet, & alijs quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis: necno ordinum predictorum, & alijs, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis, etiam Mendicantium, & alijs quibusvis ordinibus, eorumq; Superioribus, & personis, sub quibusvis, tenoribus, & formis; ac cum quibusvis etiam derogatorijs derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq; & alijs decretis quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiam si de illis, eorunq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, no aut per clausulas generales, idem importantes merito, seu quavis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, idem Pius predecessor, illorum omnium tenores pro sufficienter expressis habens, illis alias in suo robore per mansuris, ea vice dum taxat specialiter, & expresse derogavit, caterunq; contrarijs quibusvis, Ne autem de absolute, statuto, ordinatione, inhibitione, precepto, mandato, indulto, concessione, decreto, & derogatione prefatis pro eo, quod super illis, ipsius Pij predecessoris eius, superueniente obitu, litera concessa non fuerint, valeat quomodolibet habitari, ipsiq; Sebastianus Rex, ac Praepositus, & Societas huiusmodi illorum frustrantur effectu, volumus, & similiter dicta Apostolica auctoritate decernimus; quod statutum, ordinatio, inhibito, preceptum, mandatum, indultum, concessio, decretum, & derogatio Pij predecessoris huiusmodi; perinde a dicta die VI. Kal. Decemb. suum sortiantur effectum; ac si super illis ipsius Pij predecessoris litera sub eiusdem diei Datum concessa fuissent, pro ut superius enarratur; quodq; praedictae litera ad praedictum plenam absolute, statutum, ordinationem, inhibitionem, preceptum, mandatum, indultum, concessionem, decretum, & derogationem Pij predecessoris huiusmodi, vbiq; sufficienter, nec ad id probationis aliterius admittuntur requiratur. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Toletan. Et Avinionen. Archiepiscopis, ac Episcopo Leodi. per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, praedictae litera, & in ea contenta quaecunq; vbi, & quando opus fuerit, ac quo-

ties pro parte Sebastiani Regis, vel Praepositi Generalis Societatis huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicates, eiq; in pramissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, illos statuto, ordinatione, inhibitione, precepto, mandato, indulto, concessione, decreto, & derogatione, praedictis pacifice frui, & gaudere: non permittentes eos, vel eorum aliquem desuper per quoscunq; quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebitum molestari; contradictores quoslibet, ac inobedientes & rebelles, per sententias, censuras, & penas Ecclesiasticas, aliasq; opportuna iuru remedia, appellatione postposita, coepescendo: nec non legitimis super his habendis servatis processibus illos censuras, & penas predictas incurrisse declarando, easq; etiam iteratis vicibus aggravando, & auxiliu brachij secularis si opus fuerit invocando. NON obstantibus sancta memoriae Bonifacij Papa VIII. etiam predecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suam civitatem, vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra suam dietam a sine sua diocesis ad iudicium evoceatur, seu ne Iudices a dicta sede deputati extra civitatem vel diocesim in quibus deputati fuerint, contra quoscunq; procedere, aut alij, vel alijs vices suas committere praesumant: & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo quis vltra tres dietas auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur: & alijs Apostolicis constitutionibus contrarijs quibusvis, omnibus supra dictis aut si aliquibus communiter, vel diuisim, ac eadem sit sede indultum, & interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostra voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Roma apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, M. D. LXV. sextodecimo Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno primo.

Societatem Iesu esse Ordinem, & Religionem Mendicantem, declaravit Pius V. diploma Pontificio, vbi sic ait:

PIUS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Dum indefesse considerationis intuitu perscrutamur, quantum Christiana Republica utilitatem attulerint Dilecti filij presbyteri Societatis Iesu, ac plane conspicimus eos verum mundi huius relictis illecebris, adeo servatori suo se dedicasse, ut conculcatis thesauris, quos arugo, & timea comedit, lumbisq; paupertate, & humilitate praecinctis, non contenti terrarum sinibus, vsq; ad Orientales & Occidentales Indias penetraverint, ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, ut etiam proprii sanguinis prodigi, ut verbum Dei imbi efficacius plantarent, martyrio voluntario se sup-

posue-

posuerint, per q̄, eorum spiritualia exercitia etiam regna ipsa fidem Christi agnouerint: ac tam inibi, quam vbiq; terrarum charitatis & misericordia opera exercere studerit; facere nullo modo possumus, quin eos tanquam veros palmite in Christo per charitatem coniunctos, & benignè amplectamur, & ea sibi specialiter concedamus, qua & paupertatis per eos emissa voto, & eorum instituto, ac communitati credimus profutura. Hinc est, quod nos attendentes, quod licet dilecti filij Prapositus generalis, & presbyteri Societatis huiusmodi, tamen quia ipsa Societas mendicans existit; quippe, qua ex eius instituto, & constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis, bona stabilia possidere nequit, sed certis elemosynis, fideliumq; largitionibus, & subventionibus viuit; tū quia nō minus, q̄ ceteri medicantes in ecclesia vinea Domini assidue laborant fructus quo ingentes, & saluiferos produciunt; ac propterea eisdem priuilegijs, indultis, & gratijs fratribus mendicantibus hactenus concessis uti frui, potiri & gaudere merito possunt, ac debeant. Cū tamen illud aliquando in controuersiam deduci possit, ex eo, qd̄ dicta Societas Collegia habeat secū adiuua: Nos ambiguitatem huiusmodi omnino amputare volentes, eosdem Prapositum & Societatem, eorumq; singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & penis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latu, si quibus quomodolibet inmodati existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; necnon dicta Societatis instituti, constitutionū, & dispositionum tam de iure, quam ab homine prouentium: necnon priuilegiorum, immunitatum, indulgentiarum, & gratiarum mendicantibus fratribus huiusmodi quomodolibet concessarum, ac literarum de super confectarum tenores presentibus pro expressu habentes: Motu proprio non ad ipsorum Prapostiti Generalis, & Societatis, vel alicuius eorum; aut alterius pro eis nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate, & certa scientia nostra, illam, & illius Prapositum, ac singulas personas Societatis huiusmodi verè, & non siquid mendicantes fuisse, esse, & fore: & inter aliorum fratrum, & religiosorum mendicantium ordines, aliosq; fratres, & religiosos mendicantes, prout illos nos commueramus, & commuerari debere: ac omnes, & singulas tam iuris, quam hominum dispositiones, in fauorem religiosorum, seu fratrum mendicantium nunc, & pro tempore emanatas, etiam in Societate, illiusq; Domibus, Collegijs, Praposito, & alijs religiosi locum habere. Necnon omnia, & singula quacūq; quotūq; & qualiacūq; sunt, etiam speciali nota digna priuilegia, immunitates, exemptiones, facultates, cōcessiones, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, & gratias tam spirituales, quam temporales, literasq; Apostolicas, etiam iustitiam, siue mixtim concernenti hactenus per nos, & quoscūq; alios Romanos Pontifices, tã predecessores, quam successores nostros, & demq;

sedem Apostolicam, & illius Legatos de latere, siue Nuncios, & quascūq; alias personas, quauis auctoritate fungentes etiam motu, & scientia similibus, ac de Apostolica potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, tam in genere, quam in specie, & tã communiter & coniunctim, quam particulariter, & diuisim, etiam per modum extensionis, seu communicationis, & alias quomodolibet, quibusuis ordinibus fratrum, & sororum mendicantium quocūque nomine nuncupentur, illorumq; congregationibus, conuentibus, & capitulis, ac vtriusq; sexus personis, ac illorum monasterijs, Domibus, Ecclesijs, Hospitalibus, & alijs pijs locis hactenus concessa, & in posterum concedenda: quorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro expressu, & insertis haberi volumus, eisdem Praposito, ac Societati, & omnibus illius personis, Domibus, ac Collegijs vbiq; terrarum sitis, ita quod Societas, Domus, Collegia, Prapositus, & persone huiusmodi omnibus, & singulis praedictis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentijs, remissionibus, gratijs, & literis, eisdem fratrum, & sororum Mendicantium ordinibus, congregationibus, conuentibus, Capitulis, personis, Monasterijs, Domibus, Ecclesijs, Hospitalibus, & alijs pijs locis, ut praesertur, concessa, & concedendis antea potuerint, & nunc, ac in futurum dūmodo instituti Societatis, & Prapostiti, seu deputatarum personarum huiusmodi voluntati, & beneplacito non refragentur, postmi libere, & licite uti, frui, potiri, & gaudere in omnibus, & per omnia, non solum ad illorum instar, sed pariformiter, & aequè principaliter, absq; vlla prorsus differentia; perinde, ac si Societati, Praposito, personis, Domibus, & Collegijs praedictis, nominatim & specialiter, ac generaliter concessa fuissent, Apostolica auctoritate tenore praesentiu perpetuo sancimus, volumus, & declaramus, ac pariter concedimus, indulgemus, & elargimur. Decernentes praesentes literas nullo vnquam tempore per nos, aut sedem praedictam reuocari, aut limitari, vel illis derogari posse, neq; sub vllis similibus, vel dissimilibus gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, nunc & pro tempore emanatis comprehendendi, sed semper ab illis excipi, & quoties reuocari, alterari, limitari, vel derogari contingat, toties in pristinum, & eū in quo ante praemissa erant, statum restitutas, & de nouo etiã sub posteriori data per pro tempore existentem Societatis huiusmodi Prapositum Generalem eligenda, concessas esse, & fore, ac ita, & non aliter per quoscūq; iudices tam ordinaria, q̄ delegata, et mixta auctoritate fungentes, etiã S. R. E. Cardinales etiã Sedis Apostolica Legatos de latere, & Nuncios, ac causarū Palatij Apostolici Auditores sublata eis, & eorū cuiuslibet quauis aliter iudicandi facultate, vbiq; & in quauis instātia interpretari, cōferri, iudicari, cognosci, & decidi debere. In rē quoq; & inane quicquid secus super his à quoq; quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari,

Quocir-

Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis, eorum Vicariis in spiritualibus, aut officialibus generalibus, & curia causarum Camera Apostolica & Generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac alijs, ad quos id quomodolibet spectat, & spectabit, per presentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios presentes literas & in eis contenta, quaecumq; vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Prepositi, & personarum Societatis huiusmodi, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant eos praemissis omnibus, & singulis pacifice frui, & gaudere: non permittentes eos desuper per quoscunque quomodolibet indebitè molestari: contra dictores quoscunque, & rebelles per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliasq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, comescendo: legitime super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus nostris de non expediendis literis super indulgentijs ad instar, ac felicis recordationis Bonifacij Papae VIII. Praedecessoris nostri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas, quibus vigore praesentium ad iudicium non trahatur, & alijs Apostolicis constitutionibus, ac quibusuis etiam inuocamento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusuis personis per quoscunque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac nos, & sedem Apostolicam, etiam Motu, & scientia similibus, ac de Apostolica potestate plenitudine, & cum quibusuis irritatiuis, annullatiuis, cassatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, praeseruatiuis, exceptiuis, declaratiuis, membris attestatiuis, ac derogatorijs derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alijs quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis, & inuocatis, quibus omnibus, & singulis etiam si in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa mentio habenda, seu aliqua alia forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, contra quoscunque, aut si aliquibus communiter, vel diujsim ab eadem sit sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod praesentium transcriptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & signo alicuius persone in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prout si-

des in iudicio, & extra adhibeatur, quae ipsis origina lib. literis adhiberetur, si foret exhibitae, vel ostensa.

Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, Die Septim. Iulij, M.D.LXXI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Eos, qui exacto probationis biennio tria substantialia religionis vota quamuis simplicia in Societate emittunt, iuxta ipsius Societatis constitutiones, esse verè, & propriè Religiosos declarauit Gregorius XIII. in constitutione Pontificia, quae sic habet.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ascendente Domino, & Salvatore nostro in nauiculam, ecce motus magnus factus est in mari, ipse autem à discipulis rogatus ventus imperauit, & facta est tranquillitas, quam nos in Petri nauicula collocati, turbinibus excitatus ab eodè Domino assiduis precibus postulantes, nostram interea operam, & laborem in frangendis procellosis fluctibus impendere non desistimus: cumque tanti laboris socios, & validos remiges diuina nobis providentia preparauerit, eorum opera in superadis seuetis pelagi tempestatibus nos maximè subleuat, qui pro cõmuni fluctuantium animarum salute, propria cõmoda nibili pendunt, seque ad omnia discrimina exponunt. In quo cum aliarum Religionum studia, tum Societatis Iesu assiduis pro Christo labor, necnon usque ad finem perseverantia promptam se ostendit, cumq; prolem catholica Religioni valde proficua, & ad omnia pericula, pro vniuersali Ecclesia subeunda, paratam procreauerit, aliam, atque aliam à prima non degenerè, praestante gratia Dei, quotidie substituit, ut nobis eorum alumnis, per multiplices probationum gradus altius prouecti, semper praesto sint; quos in rebus arduis suscipiendis fructuosos operarios ascescamus; eos autem, ut firmiorè nobis opem ad praedicta nauare possint, ab omni non modo iniuria, sed etiam calumnia studemus intactos conseruare. Quod, ut à nobis efficiatur, ipsius instituta, tanquam fundamenta eius praesidia, quod catholica Religioni inpendunt immotae, atque inconcussa, aliorum etiam Romanorum Pontificum exemplo debemus Apostolica auctoritate tueri: quorum fel. rec. Paulus III. & Iulius etiã III. Constitutiones, & laudabile dictae Societatis institutum confirmarunt: Paulusque idem eam ipsam ab omniquorumcunq; ordinariorum iurisdictione exemuit, quo instituto per Paulum III. examinato, & à Synodo Tridentina commendato, Pius V. item praedecessor noster Societatem ipsam ordinem esse mendicantem declarauit. Quae omnia non immeritò ab eis sunt concessa, ob egregias virtutes, & dona Societati aedificata diuinitus elargita, cum praecipuis finis, catholica est Religionis defensio, ac propagatio, animarumq; in christiana vita, & doctrina profectus; gratiae quoque eius uocationis est proprium diuersa orbis terrarum loca ex Romani Pontificis, seu Praepositi Generalis eiusdem Societatis directione peragere, vitamq; in quauis mundi parte agere, vbi saluandarum suarum operum animarum copiosior prouectus,

ad Dei gloriam speretur. Ad quæ finem Spiritus sanctus homo. Ignatij Loyola Societatis ipsius Institutio-
 ris, eiusque sociorum excitator, media quoque præ-
 dicationum, ac cuiuscunque ministerij verbi Dei, do-
 ctrinae, Christianae, & spiritualium exercitiorum,
 aliorum item charitatis operum, & Sacramentorum
 administrationis, ac præcipue Poenitentiae, & Eucha-
 ristiae, horumque frequentior usus accommodavit.
 Ad quæ sufficienter, & pro dignitate præstanda, diffi-
 cultates superandas, periculaque adenda, quibus di-
 cta Societatis religiosi in huiusmodi discussionibus,
 & ministerijs exponuntur, necesse est; ut ipsi talia
 obituri, magno virtutis, & deuotionis præsidio ma-
 niantur, quod illis gratia in primis omnipotentis Dei;
 simulque, educatio ipsa, longæ item in Societate proba-
 tio, necnon regulari, & Constitutionum obseruanti-
 a præstare noscuntur. Quibus Constitutionibus, ut tan-
 te ponant rudimenta virtutis, ad quæ aluntur, statu-
 tum est; ut Nouitij in Societate biennio probentur,
 quo expleto si ipsi perseuerare voluerint, & Societa-
 ti fuerit ab eis satisfactum (quoniam Societas ipsa non
 solus Nouitij, & Professi, ut reliqui regulares ordi-
 nes, constat,) tria substantiata vota simplicia (nisi
 quis interdum ad professionem, vel gradum Coadiutorij
 formatorum admittendus videretur) Paupertatis,
 Castitatis, & Obedientiae in eadem Societate, ex Apo-
 stolico indulto, ac iuxta vouendi formulam in eisdem
 constitutionibus expressam emittunt, ac secundum illas
 promittunt, se eandem Societatem ingressuros, hoc est,
 vltioris aliquem illius gradum, prout Praeposito vide-
 bitur Generali. Quibus votis emissis Nouitij esse de-
 sinunt, & in Societatis corpus, qui literis operam de-
 derint, vel daturi sunt, ut Scholares approbati, alij
 verò, ut Coadiutores temporales, nondum formati co-
 optantur, ac quantum est ex parte ipsorum perpetuum, ex
 parte verò Societatis iuxta Apostolicam indultam, &
 constitutiones prædictas, eandem obligati sunt, quoad
 Praepositus Generalis eos in Societate retinendos esse
 censuerit. Quod ad Societatis conseruationem maxime
 est necessarium, idque ab illius exordio prouisum, & post
 experimento comprobatum est, idque initio ingressus
 illis explicitè manifestatur, atque ipsi conditionem
 hanc amplectuntur, quæ eis (si quos dimittere oport-
 teat) multo est comodior, ut liberi potius, quam votis
 obligati dimittantur, alijsque iustis, & rationabilibus
 de causis. Coadiutores temporales non formati, qui
 non ad studia literarum, sed ad domestica munia cu-
 randa destinantur, post aliquot annos, quibus Gene-
 rali Praeposito, & Societati satisfecerint: per tria ite-
 Paupertatis, Castitatis, & Obedientiae vota licet pu-
 blica, & in manibus Superioris emissis, non tamen so-
 lemnia, sed tum ex constitutionum præscripto, tum
 ex vouentis, & admittentis intentione simplicia ex-
 istunt, in Coadiutorum temporalium formarum
 gradum admittuntur. Scholares verò studijs in So-
 cietate absolutis, antequam Professi, vel Coadiuto-
 res spirituales formatifiant, non solum tertium ad-
 huc vltioris probationis annum, in deuotionis, & hu-
 militatis exercitijs impendunt, ut si qua fortasse in

re, harum virtutum feruor per literarum occupatio-
 nem intepuerit; per eandem virtutum frequentio-
 rem exercitationem, ardentior emque, diuini auxilij
 inuocationem recalescat, sed etiam in verbi Dei sac-
 rarum, & scholasticarum lectionum, panitentiaque,
 & Eucharistia Sacramentorum Societatis ministere-
 rijs tandem probantur, quamdiu Praeposito Generali
 videtur, nec antequam ipsi Praeposito sint plane per-
 specti, eique in omnibus satisfecerint, ad huiusmodi
 gradus promouentur. Qui enim ad professionem qua-
 tuor votorum admittendi sunt, eos iuxta Constitutio-
 nes eandem, & Apostolicam decretam, & indultam, vi-
 ros omnino humiles, ac prudentes in Christo, & in-
 vitæ puritate, ac literis conspicuos, diuturnis, ac di-
 ligentissimis experimentis probatos, atque Sacerdotes,
 & in ministerijs huiusmodi prius diu, multumque
 versatos vocatio hac requirit, ut potè quos ardua ma-
 neant ministeria. Quo fit, ut non omnes ad eandem pro-
 fessionem idonei esse, nec tales, sine longa exercitatione,
 atque experimento fieri, aut etiã cognosci possint. Qua-
 propter Societatis corpus in sua membra, & gradus
 idè Ignatius, diuino instinctu ita duxit disponendum,
 ut præter eos, quos Praepositus Generalis ad profes-
 sionem quatuor votorum idoneos esse censuerit, & non-
 nullos, quos interdum ad professionem trium admitti-
 tere potest, reliqui etiam Sacerdotes, quorum vita, &
 doctrina in Societate diu probata esset, ac Praeposito
 Generali perspecta, & de ipsius licentia in Coadiutorij
 spiritualium formarum gradum, per tria illa vota si-
 militer publica, sed simplicia in superioribus manibus
 emissis admittere videntur. Quibus emissis, tam hi, qui spi-
 ritualiales, quàm qui temporales Coadiutores formati
 fuerint, certum in Societate gradum habent, suntque om-
 nis hereditariae successioni in apacis, nihilque omni-
 no proprij, iuxta Constitutioes easdem, habere possunt.
 Nec propter emissam huiusmodi vota publicam, aut per
 mortem ab intestato in illorum; sicut nec in Professoribus
 bonis Domus vlla, aut Ecclesia, vel Collegij dicta So-
 cietatis succedere potest. Qui verò quatuor votorum
 Professi futuri sunt, ij tribus illis solèmbus substantia-
 libus votis, quartum similiter solemne addunt, specia-
 lis Summo Pontifici obedientiam circa missiones præ-
 standam, ob certioris Spiritus sancti in missionibus ipsis
 directionem, ac maiorem ipsorum mittendorum Sedi A-
 postolicae Obedientiam, maioremque deuotionem, humi-
 litatem, mortificationem, ac voluntatem abnegationem.
 Post emissam verò professionem, siue quatuor, siue trium
 votorum, Professi ad paupertatis, quæ regularis iusti-
 tuti maris est, & propugnaculum, perfectionem tuen-
 dam, omnemque ambitionis occasionem excludendam, non-
 nulla alia simplicia vota emittunt, quibus promittunt
 se nunquam quacunque ratione acturos, vel con-
 sensuros, ut quæ in Constitutionibus Societatis circa
 paupertatem ordinata sunt, immutentur, nisi quando
 ex iustis verum exigentium causa, paupertas magis
 restringenda videretur, neque præsensuros, ne im-
 rectè quidem, ut in aliquam præalationem, vel digni-
 ratem intra, vel extra Societatem eligantur, nec extra
 Societatem in sui electionem, quantum in eis fuerit, so-

senarios, nisi coacti obedientia eius, qui id ipsis posuit sub pena peccati praecepere. Item Societati, vel eius Praepositi manifestatos, si quae sciant aliquid huiusmodi moliri. Porro non solum Professores, & Coadiutores formati, sed, ex alijs, quicunque, absoluto probationis biennio praedicta tria substantiabilia vota, etiam simplicia emisserint, si absque expressa licentia a Societate discedant, etiam si praetextu melioris frugis, & tractatus ad alium quemcumque ordinem (Cartusiensum duntaxat excepto) id faciant, apostasae, & excommunicationis, ex Apostolicae sedis decreto penas incurrant, a quibus non nisi a Summo Pontifice, vel a Generali Praeposito absolvi possunt. Inique enim cum Societate ipsa ageretur, si vis multo labore ad ardua ministeria eruditus, cum religionis catholicae, & huius sedis detrimento, privaretur: praesertim cum Societatis Constitutionibus, & privilegiis, quae supra dicta continent, in separata, antequam ad novitium conuictum admittatur, habitatatione, eius matris consideranda, tradantur. Biennio novitatus completo, & emisso votum simplicibus, una est omnibus omnino viuendi, & obediendae ratio, debent enim omnes in omnibus obedire, & in commune viuere non secus alij, atque ipsi Professores, & Coadiutores formati, idque in Dominibus quidem Probationum, & Collegijs ex redditibus, in Dominibus vero Professorum, qui nullos omnino redditus habere possunt, ex elemosinis tantum. Et licet qui ad gradus Professorum, & Coadiutorum formatorum nondum peruenierint, honorum suorum usus, atque dominium, tum alias ob iustas causas, tum etiam, ut maior Societas habeat libertatem illorum, si opus fuerit, cum minori offensione dimittendi ad tempus Generalis Praepositi iudicio praescribendum valeant retinere, ut in pauperes transferant, seu alios pios vsus, pro ipsorum deuotione distribuunt, iuxta Euangelicum consilium, ac promissionem, quam in initio Novitatus faciunt; interim tamen quantum ad illorum usum, religionem pauperum atque seruant, nec vllare tanquam propria, & sine Superioris facultate vti possunt. Et quamuis non omnes, qui post biennium Novitatus dicta tria vota simplicia, ut praefertur, emisserint, ac in corpus Societatis cooptati, illisque meritorum, & privilegiorum, non secus, atque ipsi Professores, participes effecti, quae quantum in eis est, & professionem emittere parati, si ipse Praepositus Generalis id praedicta Societatis instituto coegre iudicauerit, & in perpetuum Dei seruitio votum simplicibus consecrati, ac sua sorte, prout laudabile Societatis institutum exigit, contenti, verum, & proprie religiosi existant, & si a Societate deficiant, excommunicationis, & alijs Apostatarum poenis sint subiecti. Tamen cum non ita pridem intellexissemus nonnullorum animos, qui pie alioqui, & vtiliter operari existebant, sollicitari interdum, & affigi, quasi non essent religiosi, eo quod non essent Professores: nec etiam deesse, qui Religionis praetextu, transfigurante se in angelum lucis Satana, non solum ea occasione inquieti existerent, sed etiam aliorum pacem, & vocationem disturbare, eosque in fraudem, & defectionem deducere conarentur, vnde fru-

ctiosa haec religio grauissima potuisset accipere detrimentum. Idcirco cum diuina providentia pro temporum necessitate, varia, & salutaria ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit; nouisque, subinde in ea nascentibus morbis, noua remedia, nouisque, emergentibus hostium impugnationibus, noua regularium ordinum auxilia excitavit, & cuique, illorum, iuxta cuiuslibet peculiaris gratia vocatione peculiares quasdam notas, propria insignia, ac oportuna ad finem quem intendit, media suggererit, & nunc maxime (ut felicissimi toto orbe successus testantur) mirificos in agro Dominico fructus praedicti Societatis Iesu instituto proferat: Quae Societas (quae admodum, & alia nascentium regularium ordinum exordia) a spiritu contradictionis impugnatur, cumque, ipsi ordines, Romanorum Pontificum propterea constitutis circumuiri consueuerint; cuius rei sanctorum Dominici, & Francisci praclarissimi ordines exempla abunde suppediunt: ita nos, licet alias, institutum praedictum, privilegia, & Constitutiones ipsius Societatis confirmauerimus, & declarauerimus, Motu proprio, statuentes eos, qui biennio Novitatus peracto, tria vota, tametsi simplicia emisserunt, esse verum, & proprie Religiosos; cum praeposito, ne quis haec in dubium reuocare audeat, at cum irritat, & alijs decretis, prout in nostris super hoc consensu litteris plenius continetur. Quis tamen non defuit temeraria quorundam audacia, qui post declarationem, decretum, praeposito, & interdictum nostrum huiusmodi non solum multa ex praedictis, & fortasse ad Societatis institutum, ac viuendi formam spectantia labefactare, sed & ipsa Apostolica decreta, ac praeposita, publice, & ex cathedra, ausu temerario impugnare, mentemque, nostram peruersè interpretari non erubescunt, disputantes, & praedicta in dubium reuocantes, omniaque, ex aliorum regularium ordinum communibus rationibus formis, ac statutis metientes, Societatis Institutum, peculiares Constitutiones, ac vim votorum simplicium illius, a sede Apostolica in eadem Societatis Religione probata admissorum, penitus ignorantes, ac nonnulla iure antiquo, quae post illud successu temporum huius sedis auctoritate, approbatione, & confirmatione, ac peculiaribus privilegijs, sancita, & roborata esse dignoscuntur, perperam interpretantes, conuellerentur. Quinetiam nos supra dicta Motu simili, & ex certa scientia de Apostolica potestate plenitudine decernentes, ac praeipientes, priuato sensu locutos fuisse, ac tanquam priuatos doctores errare potuisse; immo verum, & de facto ob falsam supra dictorum informationem errasse. Ideoque praeposito nostrum nullam ad obligandum vim habere. Neminem praeterea eorum, qui solemnem professionem in dicta Societate non emisserunt, de illius corpore, aut verum, & proprie religiosum esse posse, sed eos merè seculares, ac ordinariarum iurisdictioni subditos existere, nec Societate ipsam, aut illius superiores, immo nec nos ius in eos vllum ex votorum huiusmodi habere, vel acquirere, aut superioribus ipsis conferre posse, non considerantes voti solemnitate sola Ecclesiae constitutione inuicta esse, triaque, huiusmodi Societatis votum ametsi

simplicia, vt substantia Religiois vota ab hac sede fuisse admiffa, illaque emittentes in ftatu Religiois verè conftitui; quippe per ea ipfa fe Societati dedicant, at que adutradunt fe que diuino feruio in ea mancipant; in quibus votis nullus prater Romanum Pontificem potèft manum apponere: alijsque, at que alijs modis Societatem ipfam impetunt, vniuerfali Ecclefia perutilem, que diuerfis functionibus, & perfonarum gradibus diftributa, à Romanis Pontificibus Presbyterorum, à Tridentina Synodo clericorū Religio approbata, habitu, nomine, plerifque, perfonarum gradibus, votorumque differentijs ab alijs Regularibus ordinibus diftinguitur. Quibus etiam adiungunt, licet eisdem non profefus, etiam inuitis dictæ Societatis Superioribus ad quofuis alios regulares ordines fe transfere: Tranfrefioresque, horum votorum, ac inobedientes, aut etiã vxorem ducentes nullã ipfi Societati iniuriam facere; immo poffe Epifcopos cũ eis difpenfare, vt inuitis etiã Superioribus eisdem, vxorem ducant, quibus cum gloffatores, & obreclatores huiusmodi fua falfa doctrina fauere pergunt, horum votorum naturã, & penarum vim, vel non intelligentes, vel eludere conantes, eos ficut progrefsi, vt etiã vi facultatè, quã literis indulgentiarum Cruciatæ sanctæ nuncupatarum continentur, omnes transfugas, & ab ipfa Societate deficietes non profefus, quoties ab ea defecerint, ab excommunicationis lata fententiã pena à quocumq, confefario abfolui poffe, nullaque ipfi Societati fuis operarijs priuata iniuriã fieri, aut prauidicium generari exiftiment, fed & votorum substantialem Religiois prædictæ, ac decretorū contra eorūdem Apoftatas fedis huius auctoritate editorum vim, quantum in eis est, enervare contendant. Insuper afferūt nō poffe vota aliqua in feculo emiffa, in tria hæc substantia Societatis commutari; cum tamē hæc vota fint ftatus, vt præfertur, religiofi, adeo vitilis, & perfecti, vt illa in hæc poffint, hæc verò in aliorum ordinum, etiã folemnia vota commutari, fit ab hac fede iuftis de caufis interdicitū. Nec etiã defunt alia, que in animam suarum prauidicium, Societatis perturbationem, & scandalum plurimorū commiffantur. Nos vniuerfali Ecclefia vtilitati, quã ex inuiolato, & in cōcufo dictæ Societatis inftituto, & religiofo fololis educatione, femimus, & maiorē in dies speramus profpicientes; & prætere a eiusdem Societatis indemnitati, paci, quieti, & incremento confulere volentes, Motu fimili, & ex certâ fcientia nofta, deque Apoftolica poteftatis plenitudine, laudabile ipfius Societatis inftitutū, & que illud concernunt præmiſſa omnia, & fingula prædictaq, illius, ac quacumq, alia priuilegia, facultates, exceptiones, immunitates, gratias, & indulta, à prædictis prædeceſſoribus noſtris, & à nobis etiã per cōmunicationē conceſſa, Conftitutiones quoque, ac ftatuta, & decreta qualiacumq, ac fi ad verbum præſentibus infererentur, pro expreſſis habentes, tenore præſentium approbamus, & confirmamus: ſupplentes omnes luras, & facti defectus, fi qui interuenerint in prædictis Conftitutionibus, & ftatutis: Ad hæc dictam Societatem

firmiter fedis huius præſidio cōmunitate volentes, hæc nofta perpetua Conftitutione, motu, fcientia, & poteftate plenitudine fimilibus ftatimus, at que decernimus tria vota huiusmodi, etfi ſimplicia, ex huius fedis inftitutione, ac nofta etiã declaratione, & cōfirmatione eſſe verè ſubſtantia Religiois vota, ac in dicta Societate tanquam in Religione approbata, per fedē eandē, admiffa fuiſſe, & eſſe, ac per nos admitti, nec in illis à quocumq, præter nos, & fedē huiusmodi difpenſari; nec ea villo alio modo, quã per legitimā dimiſſionem à Societate ceſſare poſſe, & nō modo eos, qui in coadiutorum formatōrū, ſive ſpirituualium, ſive tēporalium gradus, & miniſteria, vt præfertur, admittuntur, ſed & Scholares ipſos, ac ſupradictos alios omnes, & quofcumq, qui in ipſam Societatem admiffi, huiusmodi probationē à quolibet eorum per actō, tria vota ſubſtantia prædicta, tamē ſi ſimplicia emiferint, aut emittent in futurū, verè, & propriè religioſos fuiſſe, & eſſe, ac fore, & vbiq, ſemper, & ab omnibus cenſeri, & nominari debere, non ſecus at que ipſos tūm Societatis, tūm quorūvis Regularium ordinum Profefſos, fuiſſe, Præpoſitis in omnibus, & per omnia obedire, & huic fedē immediatè ſubiectos, & à quorumvis ordinariorū, & delegatorum, ſeu aliorū iudicium iuriſdictione omnino exemptos, pro vt nos etiã vigore præſentium exciſimus; denique, vt omnium Societatis priuilegiorum, iuxta Generalem Præpoſiti diſpoſitionē, ſunt participes; ita quoque excommunicationis maioris lata ſententiã, & alijs Apoftatarum penis, ſi qui à Societate deficiant, ſubiicere, ac tanquã veros Apoftatas puniri poſſe: Nec à quoquam, niſi per nos, & fedem prædictā, aut Generalem Præpoſitum ab eisdem penis abſolui, nec ante huiusmodi abſolutionem, & à Societate dimiſſionem, matrimonium contrahere: quoniam eos omnes ad contrahendū inhábiles, ac contraictus huiusmodi nullos, & irritos eſſe, prout irritos facimus, & annulamus. Et vt contradicentium audacia coerceatur, præmiſſis omnes, & quaſuis alijs illis ſimiles aſſertiones contra dictam Societatis inſtitutum, vel quomolibet in illius præuidicium prænuuntias, aut ſcriptas, falſas omnino, & emerarias eſſe, & cenſeri debere. Præcipimus igitur in virtute ſancitæ obedientie, ac ſub penis excommunicationis latorum ſententiã, nec non inhábilitatis ad quacuſq, officia, & beneficia ſecularia, & quorumvis Ordinum regularia, eo ipſo abſque alia declaratione, incurrendis, quarum abſolutionem nobis, & ſucceſſoribus noſtris reſeruamus, ne quis cuiuſcuq, ftatus, gradus, & præminentie exiſtat, dictam Societatis inſtitutum, conſtitutiones, vel etiã præſentes, aut quouis eorū, vel ſupradictorum omnium articulū, vel aliud quid ſupradicta concernens, quouis diſputandi, vel etiam veritatis indaganda quaſito colore directò, vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat; diſtrictius inhibentes, ne quis ſue extra, ſue intra dictam Societatem, niſi de illius Generalis, aut inferiorū Præpoſitorum licetia, notaciones, declarationes, gloſſas, vel ſcholia vlla ſuper præmiſſis facere, vel ea, niſi quantum

verba ipsa sonant interpretari, aut de eis discere, seu scriptum cuiquam inire, vel in controuersia, aut dubiū reuocare audeat quoquomodo: nec glossas, aut interpretationes, siue impressas, seu scriptas ad id pertinentes legere, docere, alijsq; tradere, vendere, vel apud se retinere presumat: si quid verò dubij de eisdem oriri contigerit ad sedem prædictā, vel ad Generalem Præpositum dictæ Societatis, aut ad eos, quibus id ipse commiserit, referatur. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunq; Iudices, & Commissarios etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales in quavis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definituri debere: nec non irritum, & inane, quidquid secus super his à quoquā, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris Ecclesiarum, & locorum etiam Regularium Prælatibus, per vniuersum orbem constitutis, vt præsentis literas in suis quibuscunq; Præuincijs, Ciuitatibus, Diocesis, & iurisdictionibus, ab omnibus inuiolatè obseruari; quin etiam Præpositum, ac personas Societatis huiusmodi defendant, eosq; præmissis omnibus, & singulis pacifice frui faciant, & gaudere, non permittentes ipsos per quoscunq; quomodolibet molestari, Contradiutores per censuras Ecclesiasticas, & alia Iuris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij secularis. Nō obstantibus recol. mem. Bonifacij Papæ VIII. q. 1. incipit. Quod votum, & alijs Apostolicis constitutionibus, ac etiam aliorum ordinum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis quibuscunq; huiusmodi ordinibus, Vniuersitatibus, locis, vel personis, per quoscunq; Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestate plenitudine, & cum quibusuis irritatiuis, annullatiuis, & cassatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, præseruatiuis, exceptiuis, declaratiuis, mentis attestatiuis, ac derogatorijs derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis irritatiuis, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet etiam plures concessis, confirmatis, & inuocatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma in illis expressis derogari possit, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrarijs quibuscunq; aut si aliquibus communitè, vel diujsim ab eadem sit sede indultū, quod interdici, suspendi, vel excommunicari

non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Præsentis autem Constitutionis, & gratia communicationem omnibus alijs, qui sua priuilegia cū ipsa Societate copiose participant, participareq; poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Ceterum volumus, vt præsentium transumptis, etiam impressis manu Secretarij dictæ Societatis, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo præpositi Generalis eiusdem Societatis, vel alterius persona in dignitate Ecclesiastica constituta, munitis, eadem omnino fides habeatur in iudicio, & extra illud que literis ipsis originalibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, suppletionis, decretorum statuti, præcepti, interdicti, derogationis, & voluntatis infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attetare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Roma apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dñmnicæ 1584. octauo Kalend. Iunij, anno Pontificatus nostri tertio decimo.

Caput VIII

De Sacris Virginitate voto Religiosis, quas Sanctimonialia vocamus.

Primo quaritur, quidnam iure Canonico de Monialibus statutum sit? Respondeo; in c. Periculoso, De statu Regularium in 6. hoc esse sancitum: *Virginitates expresse, vel tacite professæ, cuiuscunq; Religionis, vel Ordinis fuerint, perpetuam Clausuram in suis Monasterijs seruare debeant, ita vt nulli earum exire liceat, quacunq; ratione, vel causa, nisi tanto, & tali morbo eundem labores, vt cum alijs Monialibus absque gravi periculo seu scandalo commorari nequeat. Hæc ibi. Hanc tamen Constitutionem, Ioannes Andreas affirmat in regno Franciæ receptam non esse. Annotauit, verò Archidiaconus, & Glossa, prædictam Constitutionem minimè impedire, quo minus Moniales possint, si velint, ad arctiorem Religionem cōuolare petita facultate, quamuis non obtenta, vt habetur in c. Licet, De Regular. Nec item obstare, quin Monialis possit eligi, & electa exire, ad Præfecturam alterius monasterij, iuxta id, quod habetur in c. Nullus, De elect. in 6. Sed meo iudicio, hæc olim habebant locum in Monialibus executibus prædictis duabus de causis; ac nunc nō item, etiā in illis, quia ad exiendum à Monasterio, requiritur Superioris consensus, iuxta Constitutionem Pij Quinti, vt statim dicam.*

Porro Concil. Trident. Sess. 25. c. 5. de Regulari. in nouatur hæc eadem Bonifacij Octauij Constitutio, vbi vniuersis Episcopis, sub obtestatione Diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipitur; vt in omnibus monasterijs sibi subiectis ordinarijs, in alijs verò, Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialiū, vbi violata fuerit, diligenter restitui; & vbi inuolata est, conseruari maxime curent: Inobedientes atq; contradictores, per censuras Ecclesiasticas, alijsq; penas quacunq; appellatione postposita compescetes; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit,

auxilio brachij secularis. Quod auxiliū, vt prebeat, omnes Christianos Principes horiatur sancta Synodus, & sub excommunicationis pena ipso facto cōrahenda omnibus Magistratibus secularibus iniūgit. Et postea subiicit: Nemini Sāctimoniali liceat post professionē exire ē monasterio etiam ad breue tēpus, quocūq; preteritū, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscūq; & privilegijs non obstantib. Hęc ibi, quibus nō ab familia quoq; statuit Conciliū Cabilonense 2. tempore Caroli Magni coactū, c. 57. videlicet, vt Abbatisa nequaquam ē monasterio egrediatur, nisi per licentiā Episcopi sui, aut qui vicē eius obtinet; nisi forē, aut imperialis iussio eam cogat, aut alia iusta causa: Et si aliquādo foras pergit, de sanctimonialibus quas secum ducit, curā habeat. Et ca. 62. Sanctimonialiales, nisi Abbatisa pro aliqua necessitate eas mūtante ē monasterio non exeant.

Ex quo fit, vt locum non habeat opinio docentium, existere legitima causa exeundi ē monasterio, nimirum infirmitatis, quæ alijs Monialibus, aut offensionis, aut contagioni esse posset, necessarium non esse Episcopi consensum: hoc enim et si ante Concilium Tridentinum, defendi probabiliter poterat, postea verō minimē. Nam Concilium eum apertē requirit, cum ait: Nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.

Pius item V. anno 1566. edidit Constitutionem, cuius est initiū: *CIRCA pastoralis*, in qua renouat Constitutionē Bonifacij Octaui incipientē: *PERICYLOS*, & supradictū Concilij Decretū: vbi præcipit vt vniuersæ, & singulæ Moniales cuiuscūq; Religionis, Ordinis, vel Militiæ, etiam Hierosolymitanæ expressē, vel tacitē professæ, etiā si Conuersæ, aut quocūq; alio nomine appellētur, & etiam si ex institutis, vel fundationibus suæ Regulæ ad clausurā non teneantur, nec vnquā in earum monasterijs, seu Domibus, etiā ab immemorabili tēpore, ea seruata non fuerit, sub perpetua in suis monasterijs seu Domibus debeant in posterū clausura permanere, iuxta Constitutionem Bonifacij Octaui, & Cōcil. Trident. Decretū. Quod si aliquæ Moniales fuerint reperiantur, quæ consuetudine etiā immemorabili, aut instituto, vel fundatione suæ Regulæ fretæ, animo obstituto huic clausuræ reluctētur, Ordinarij, vna cū Superiorib. earū, omnibus iuris, & facti remedijs cōpellāt eas ad præcisē subeundā dictam clausurā, & perpetuō obseruandam. Mōnieres quoq; Tertiariæ, seu quæ de Punitiā dicuntur, cuiuscūq; fuerint Ordinis, in Congregatione viuente, si ipse professæ fuerint, ita vt solemne Votū emisserint, ad clausuram præcisē, & ipsæ teneantur. Quod si votū solemne non fecerint; Ordinarij vna cū Superioribus earū hortentur, & studeant persuadere, vt illud emittant, ac profiteantur: & post emissionē, & professionē eidē clausuræ subiciāt. Quod si recusauerint; & aliquæ ex eis deprehendantur scandalosē viuere, seuerissimē puniantur. Ceteris autem omnibus sic abique emissionē professionis, & clausuræ viuere omnino volentibus, prohibemus, ne in futurum vllam aliam in suum Ordinem, Religionem, Congregationem recipiant. Quod si aliquas receperint, eas ad sic viuēda, omnino inhabiles reddimus, & receptiones ipsas, ac professiones irritas facimus. Ac deinde præcipit in virtute sanctæ obediētiæ vniuersis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, vt in suis diocēsis has literas promulgandas curent, & in monasterijs Monialiū sibi subiectis, in alijs verō Sedis Apostolicæ auctoritate vna cum Superioribus eorundem Cœnobiorum clausuram prædictam seruari cogant.

Deinde verō anno 1569. idem Pontifex Pius V.

aliā edidit Constitutionē, quæ incipit: *DECOR*, vbi seuerius prohibet exitū Monialiū ē monasterio his verbis: Sancimus nulli Abbatisarū, Priorissarū, aliorūq; Monialiū, etiam Carthusienis, Cisterciensium, S. Benedicti, Mendicantiū, & quorumcūq; aliorū Ordinum, etiā Militariū, & statum, gradū, conditionem, dignitatē, & preeminentiarū, etiam a regia, vel illustri progenie ortarum, de cetero infirmitatis, seu aliorū monasteriorū esse subiectōrū, aut domorū, parentū, aliorumq; propinquorū visitandorū, aliaue occasione, & preteritū licere exire, nisi ex causa magni incēdij, vel infirmitatis, lepræ, aut Epidimiæ: quæ tamē infirmitas præter alios Ordinū Superiores, quibus cura Monasteriorū incumbet, etiā per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiā si prædicta monasteria ab Episcoporū, & Ordinariorū iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expressē in scriptis approbata sit, a monasterijs præfatis exire: sed nec in prædictis casib. extra illa, nisi ad necessariū tēpus stare licere. Aliter aut, quā vt præferatur, egredientes, seu licentiā exeundi quomodocūq; concedentes, necnō comitantes, ac illarū receptrices personas sine laicis, aut secularibus, vel Ecclesiasticis, cōianguineas, vel non, excommunicationis maioris latē sententiæ vinculo statim, eo ipso, absq; aliqua declaratione subiacere. A quo præterquā a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolui nequeant. Et insuper tam egressas, quā præfidentes, & alios Superiores prædictos esse licentiā huiusmodi concedentes, dignitatibus, officijs, & administrationibus obtentis priuamus, & ad alia in posterum obtinēda inhabiles reddimus. Et deinde facit quoq; irritas licentias, & facultates, & priuilegia, siue indulta exeundi ē monasterijs, & standi extra illa a se, & ab alijs Pontificibus, aut Sedis Apostolicæ nuncijs, & legatis, etiam de latere, aut Maiori Pœnitentiario, per Ordinem prædictōrum Superioribus, alijūse per formis concessa, sub quibuscūq; tenoribus, & formis, & quibuscūq; clausulis, etiam in solitis, etiam in cuiuscūq; persone fauore, etiam Imperatorū, Regum, Ducū, & aliorū Principum, necnō Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinaliū. Deinde præcipit Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs, in virtute sanctæ Obediētiæ, vt in suis diocēsis has literas quolibet anno promulgent, & omnia obseruari faciāt iuxta prædictū Cōcil. Trident. Decretum, & Constitutionem Bonifacij Octaui.

Ex his planē constat, nunc non esse locū multis quæstionibus, quæ ante, & post Conciliū Tridentinum agitabantur, nimirū, An vbi nunquam seruata est clausura Monialiū, seruari nunc debeat. Nam Constitutioni Bonifacij Octaui, ante Conciliū Tridentinum potuit cōsuetudine esse derogatū: at verō post Conciliū Tridentinum, & Pontificias Constitutiones Pij V. etiam vbi nō est seruata clausura, cogendæ sunt Moniales eā seruare. **QVÆRES**, an possit consuetudine alicubi esse derogatum decreto Concilij Tridentini, & Constitutionibus Pij Quinti? **Rpondeo**, posse, nam fieri potest, vt Constitutiones Pij Quinti, simul, & Decretum Concilij Tridentini, non sint alicubi vsu recepta, & ita, eo loco, vim non habent: Quia talia decreta non sunt ibi vsu recepta: sed ego noua cōstitutione Pontificia, quæ cōsuetudinē contrariā abrogat, Moniales ad seruandā clausuram cogēdas esse putauerim. Quod si ibi quoq; ante Concilij cōsuetudo derogauerat Constitutioni Bonifacij Octaui, aut eam vsus nullo modo receperat; cōsequitur, vt ibi Moniales clausuram

seruare

feruare minimè cogantur, nisi adducta, & per-
motæ auctoritate Episcoporum, aut Superiorum
includantur.

Item, quærebatur olim, an monasterijs, sine vl-
la clausura fundatis Moniales includi deberent,
præsertim vbi simul etiam statuta extarent Mo-
nialibus liberam facultatem exeundi è Cœnobio
concedentia: Sed post Concilium Tridentinum,
& Constitutiones Pij Quinti, sublata omnis hæc
controversia est, vbi ea sunt vltu recepta; alibi e-
nim vel ius commune antiquum, vel consuetudo
vim, & locum habebit. Similiter quoque sublata
est ea quæstio, An Monialis possit professionem
emittere ea conditione, vt extra monasterium in
aliquo loco tuto, & honesto viuat? nam antea id
licebat, iuxta id, quod habetur in cap. Insuperante, qui Cle-
rici, vel videntes. Pariter, & illa controversia, An
facultas exeundi scripto tradita esse debeat? nam
Pius V. perspicuè definit eam scripto datam esse
oportere: Et illa itidem, An huiusmodi facultas
exigat approbationem non solum Superiorum
Regularium, vbi illis sunt monasterio subiecta, sed
etiam Episcoporum, vel Ordinariorum. Pius V.
constituit necessarium esse consensum, & Super-
iorum Regularium, & Episcoporum. **ROGA-
BIS**, an Concilium Tridentinum, & Constitutio-
nes Pij Quinti, eas Moniales comprehendant, quæ
sunt Nouitiæ, & adhuc in probatione versantur?
Respondeo minimè; quoniam tum Concilium, &
Constitutiones Pij Quinti, tum Constitutio Boni-
facij Octaui loquuntur de Monialibus expressè,
vel tacitè professis. **SI DEINDE ROGES**, an
comprehendant etiam Moniales, quæ Monaste-
rio præsent, & vocantur Abbatissæ, Priorissæ, si-
ue Præpositæ? Respondeo, comprehendere: nam
ipsæ etiam includi debent.

Tertiò quæres, an liceat Monialibus exire pro-
pter alias causas ijs affines, quas Pius Quintus ex-
pressit? Respondeo Nauarrus *Commen. 4. de Regulari-
um. 48.* id esse licitum, duabus de causis, quas ille
commemoratur: nimirum, si bellum ingruat, quod
Moniales ad exitum compellat: Deinde si Monia-
lis ab alijs eligatur, vt earum cœnobio præsit. **RO-
GABIS** insuper, an etiam Moniali exire liceat ob
morbum periculosum quidem, sed qui alijs con-
tagione nõ obstat, ita vt Medici iudicent eam alio-
qui morituram, nisi exierit? Respondeo Nauar-
rus, loco citato, licere, eo quod humanæ leges, & iu-
ra nos nõ tam seuerè tenent, & obligant, vt mor-
tis periculum subire cogamur. **QVAERES** pos-
tremò, an in excommunicationem incidant quot-
quot Monialem è monasterio egressam comitan-
tantur, aut excipiunt? At Nauarrus loco citato. n. 51.
nõ incidere eos, qui id fecerint extrema vel gra-
ui necessitate compulsi. V. G. si siogas Monialem
egressam solum noctu, & obuium in via habere
propinquum, qui redire nolètem comitatur, vel
alicubi excipit, ne illa fama, honoris, aut vitæ pe-
riculum subeat.

Secundò quæritur, An clausura Monialium sit
iuris Diuini, aut Naturalis, an tantum iuris Cano-
nici? Hanc quæstionem tractat Nauarrus. *Commen. de
regularib. 4. m. 42.* Non parum refert hæc quæstio,
etenim si primi, aut secundi generis sit, multa in-
de deducuntur, illud in primis, Debere Moniales
spontè se includere, quamuis ab Episcopis, vel a-

lijs Superioribus minimè includantur. Deinde,
cõsuetudine clausuram abrogari non posse, cum
consuetudo contra ius Diuinum, vel Naturale,
nihil aliud, nisi corruptela sit. Postremò, nõ pos-
se clausuram humana aliqua auctoritate, aut ex
toto, aut ex parte submoueri. Fuere qui dixerint,
clausuram iuris esse Diuini, ob illud Psalmi: *Vnã
perij à Domino, hanc requiram, vt inhabitè in domo Domini
omnibus diebus vitæ meæ: & Ecce elongaui fugiens, & mã-
si in solitudine.* Alij verò tradunt esse iuris natura-
lis, eo quod ratione votorum Moniales clausurã
feruare cogantur: nam cum professionem emit-
tunt, vouent se perpetuam Continentiam, Pau-
pertatem, & Obedientiam, in monasterio seruaturas;
præsertim cum Bonifacius Octauus, in Con-
stitutione sua ideo iubeat clausuram seruari, quia
exitus è monasterio sit Monialibus periculosus,
& noxius. Postremò, si iuris diuini, vel naturalis
non esset, nequiret Pontifex, vel Concilium Mo-
niales adigere ad clausuram seruadã, cum eam
nunquam voto, & professione promiserint, Alijs
verò videtur solum esse iuris Canonici clausura,
etenim Moniales solum Religionis tria vota fa-
ciunt, in quibus clausura minimè cõtinetur, cum
absque ea possint ea vota seruari, vt à multis ser-
uata olim fuere, atq; etiam nunc seruatur. Et Au-
gustinus *Epist. 109.* concedere videtur facultatem
exeundi, iustis de causis, cum ait: *Nec eam ad balnea,
siue quocunq; ire necesse fuerit, minus quam tres, nec illa,
quæ habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus ipsa voluerit,
sed cum quibus ipsa Præposita iusserit, ire debet.* Ean-
dem quoq; Pontifices, & Concilia facultatem ex-
eundi Monialibus concessere. Sic docet Nauarrus.
Commen. 4. de Regularib. num. 42.

Mihi hæc opinio magis probatur: nec enim ex
sacris literis, aut ex traditione aliqua diuina e-
iusmodi clausura clarè deduci potest: nec in tri-
bus Religionis votis includitur per se. Nihilomi-
nus tamen Pontifex, aut Synodus meritò iubet,
Moniales includi, vt docent Ioan. Monachus, Do-
minicus, & Gloss. in c. periculoso, de statu regular. in 6.
& Nauarrus in loco citato, quoniam etsi ratione voto-
rum Moniales per se includi non debent, ex acci-
denti tamen clausuram seruare coguntur: exitus
enim è monasterio frequenter solet Monialibus
noxius, & periculosus esse, & alijs offensionem
præbere.

Tertiò quæritur, An liceat alicui ad Moniales
ingredi? Respondeo, in eadem Constitutione Boni-
facij Octaui, **PERICULOSO**, de statu Regularium, in 6.
ita decerni: *Nulli aliquatenus inhonestæ personæ, nec
etiam honestæ, nisi rationabilis, & manifestæ causæ existat,
ac de illius, ad quem pertinebit, speciali licentia ingressus, vel
accessus pateat ad Moniales.* Et olim in Conc. Cabilo.
2. can. 63. definitum est, vt nullus famulus Abbatif-
sæ, nullus minister, nec Laicus, nec Clericus clau-
stra ancillarum Dei ingrediatur. Item, Conc. Matifconense 1. c. 2. statuit, vt nullus Episcopus Pres-
byter, Diaconus, Clericus siue alius secularis in Mo-
nasterijs puellarum, nisi probatæ vitæ, & ætatis
proiectæ præter vtilitatem, aut pro quacunq; re-
paratione monasterij habitare, aut secretas col-
locationes habere præsumant, neq; intra Saluta-
torium, aut Oratorium ingredi permittantur. At
in Concilio Tridentino *sess. 25. c. 5. de regul. renouat-
ur eadem Constitutio, cum dicitur: Ingredi intra*

Septa monasterij nemini liceat, cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto, contrahenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessarijs: nec alijs villo modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis, vel indulti hætenus concessi, vel in posterum concedendi. Pius item Quintus in Constitutione sic exordiente: *CIRCA pastoralis*, renouat constitutionem Bonifacij, & Decretum Concilij Tridentini. Necnon Gregorius XIII. aliam Constitutionem edidit hoc exordio: *VBI gratis*, qua renocat, & abolet omnes licentias, & facultates ingrediendi Monasteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam virorum quorumuis Ordinum, quibusuis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & alijs cuiuscunque status, & conditionis mulieribus: & omnes licentias ingrediendi Monasteria, Domos, & loca Sanctimonialium concessas quibuscunque, viris eiusdem status, & dignitatis, à quibuscunque Pontificibus, & Sedis Apostolicæ legatis, aut alijs, ex quibuscunque tenoribus, & clausulis, etiam si Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumue Principum intuitu, sub excommunicationis pœna, ipso facto contrahenda: à qua nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, ab solutionis beneficium obtineri nequeat: Item, præcipit Abbatissis, necnon & Abbatibus, & Conuentibus, & alijs monasteriorum vtriusque sexus Superioribus, & personis, quocunque nomine vocentur, sub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, Beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda. Nec in monasterio, Domos, & loca sua quocunque prætextu huiusmodi facultatem ingredi faciant, vel permittant: Et sub eisdem pœnis, ipso facto contrahendis imperat quibuscunque personis Ecclesiasticis, & secularibus, & etiam Ordinum quorumcunque, etiam Mendicantium Regularibus, ne prætextu facultatum, ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantum ex decreto Concilij Tridentini tribuitur, Ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus duntaxat ingredi, neue Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant. Hæc ibi.

Quartò queritur, Circa huiusmodi Decretum Concilij, & Constitutiones Pontificum, an liceat Episcopis, vel Superioribus facultatem dare recipiendi puellas in monasteria, educationis, & institutionis gratia? Respondeo, licere, quamuis nolint Religionis habitum suscipere. Non enim Concilium Tridentinum, aut Constitutiones Pontificæ prohibent huiusmodi puellas admitti, quãdo institutum Religionis, aut aliquid aliud non impediatur. Non sunt tamen recipiendæ, nisi sub certis conditionibus; nimirum, si monasterium alioqui tales recipere consueuerit: Item, vt id fiat assensu Superioris illius, cui cura monasterij est commissa. & facultas scripto detur, & fiat etiam consensu Abbatissæ, & reliquarum Monialium. Deinde, vt sine ancillis in monasterio commorentur, nec inde exire queant, cum libera potestate redeundi, & vt clausuræ legib' instar Mo-

nialium teneantur, & eo vestitu in monasterio vtantur, qui virginibus conueniat, & ne in monasterio vltra annum vigesimum quintum retineantur. Idem iuris est de puellis, quæ obegestatem, & inopiam domi suæ turbè ali nequeunt, & vicium sibi à propinquis suppeditatum accipiunt ea lege, vt in monasterio aliquo collocentur. Idem etiam est de puellis, quæ delectæ sunt ex Xenodochijs, & alijs publicis locis, gratia pietatis extractis, donec idonea sese offerat occasio, eas in matrimonium collocandi. Pari ratione recipi queunt puellæ, quæ parentibus, & propinquis destitutæ, iustæ, & debita dote carèt, quæ possint commodè nubere: Neophitæ item, nec non & viduæ, quæ viris suis orbata, honestatis causa, in Monasterium se conferre, & abdere cupiunt, modò sine bonæ existimationis, & famæ. Insuper, & scemina cõiugij vinculo astrictæ, si earum vita aliqui in tuto non sit. Si qua item mulier apud virum suum de adulterio suspecta, vt ab eo sibi paratam quam metuit perniciem, declinet, ad monasterium confugit, iure ei per Episcopum, vel Superiorem aditus patet. Hæc omnia habet Declaratio Cardinalium.

Quintò queritur, An infantes, & pueri nondum usum rationis adepti, ad Moniales iure ingredi queant? Affirmat Nauarrus in *Comment. 4. de Regul. nu. 59.* posse, quoniam tamen Concilium Tridentinum vniuersim definit nulli cuiuslibet sexus, vel ætatis licere, eos tamen videtur intelligere, qui iam ratione vigent; in his enim meritum, aut culpa esse potest, in alijs non item, ac proinde huiusmodi infantes, & pueri in excommunicatione incurere nequeunt, cum peccare non possint. At vt rectè idem auctor annotauit, videtur Concilium comprehendisse omnes, qui pubertatem attingerunt, siue pueri sint, siue puellæ, quamuis ratione non vtantur, cuiusmodi sunt amætes, & fatui: nam etsi peccare aliquando nequeunt, possunt tamen peccandi alijs occasionem præbere; tumultum excitare, inturbare Moniales, loqui turpia, iocosa, & vana, & alia id generis plurima, minime decetia Religiosam honestatem, & modestiam. Ceterum, si Nauarrus intelligat amætes, & fatuos, qui nunquam rationis sunt compotes, idem iuris mihi videtur esse in illis, quod in pueris, & infanibus rationis usum non consequutis: nam peccare non possunt, ergo nec excommunicationis vitulo obstringi. Locum igitur habet quod Nauarrus annotat in amentibus, qui aliquando rationis sunt compotes, qui & peccare queunt, & excommunicationi subiijci. Aut potius habet locum in omnibus cuiuslibet ætatis, & sexus, quatenus ad peccatum incitare queunt, quatenus turpiter iocari, ludere, fabulari, vana, & alia noxia, in monasterium importare, & perturbare sacras Deo Virgines possunt: videlicet ne ingredi permittantur.

Sextò queritur, An ad eas liceat ingressus Medicis, Chirurgis, fabris lignarijs, & huius generis hominibus? Respondeo cum Nauarro loco citato, licere, quoniam in his subest causa rationabilis, & manifesta, quod idem ius esse ait Nauarrus, ei, qui ingrederetur legitime euocatus ad electionem Præpositæ in Monasterio dirigendam, ac rite promouendam. At mihi nõ probatur hac in re Nauar-

sententia. Et in his omnibus non solum sufficit causa rationi consentanea, sed etiam debet esse manifesta, ut tradit Dominicus in *c. periculoso, citato*, quod ab omnibus recipitur. Nec satis est voluntas Præpositæ, sed præterea requiritur Episcopi, vel alterius Monasterij curam habentis auctoritas, qua facultatem scripto concedat, quod aiunt Ioannes Monachus, Dominicus, Francus, & ipse Nauarrus. Nam quamuis Constitutio Bonifacij Octaui, facultatem scripto traditam non requirat, requirunt tamen Concilium Tridentinum, & Pij Quinti Constitutio superius allata.

Septimò queritur, An sufficiat solus Episcopi consensus absque alia Superioris Regularis voluntate, & è contrario? Ratio dubitandi est, quoniam tum in Constitutione Bonifacij Octaui, tum in Concilij Tridentini Decreto, sub disiunctione ponitur consensus, siue voluntas, cum dicitur: *vel Episcopi, vel Superioris*. Deinde solus Episcopus, vel Superior Regularis ius habet includendi Moniales, ergo etiam concedendi ingressum ad eas. Respondeo cum Nauarro *Commen. 4. de Regulari. nu. 59. & 60.* Aut enim Monasterium est Episcopi solius iurisdictioni subiectum: aut exemptum quidem, sed Romano Pontifici proximè subditum: aut subiectum soli Superiori Regulari. Si primo, & secundo, Episcopus solus habet ius concedendi ingressum, auctoritate quidem propria, in Monasteria sibi subiecta; auctoritate verò delegata, in ea, quæ Romano Pontifici sunt proximè subiecta. Si verò tertio, solius est Superioris Regularis facultatem ingrediendi concedere, ut loco citato Nauarrus ait.

Octauò queritur, quando causa iusta, & manifesta crebrò contingunt, & Episcopus, vel Superior, aut alius longè absunt, an tunc etiam requiratur facultas scripto tradita? V. G. in Medicis, Chirurgis, & alijs supra memoratis? Respondet Nauarrus *Commen. 4. de Regulari. nu. 60.* minimè: quod probat à simili: In cæteris enim, in quibus ob euentuum frequentiam, & Superioris absentiam opus minimè est, ut scripto detur facultas, si tamen his generalis potestas fieret, eam scripto mandari oporteret.

Nonò queritur, An Episcopi, & alij Superiores Regulares ius habentes alijs concedendi facultatem, qua ingrediantur ad Moniales, ingredi ipsi quoque possint? Siquidem ingressus ad eas ipsis ratione sui muneris, & officij conuenit. Respondet Nauarrus *Commen. citato numer. 61.* Gregorium XIII. anno 1581. in constitutione, quæ incipit *Dubijs*, declarasse, ipsos posse ingredi: dummodo ea facultate non utantur, nisi iustis, & necessarijs ex causis, & paucis, & non nisi senioribus, ac Religiosis viris sociati: alioqui fas illis non est ingredi.

Decimò queritur, An in censuras, & pœnas à Pio V. & Gregorio XIII. latis incidat is, qui ingreditur non ratione quidem alicuius facultatis sibi concessæ, sed propria auctoritate? Ratio questionis est, quia Pius Quintus, & Gregorius XIII. abrogant omnes facultates à Romanis Pontificibus, aut legatis Sedis Apostolicæ impetratas, aut concessas alicuius Privilegij, vel indulti beneficij: & interdicitur, ne vilis admittatur harum ratione facultatum. Ergo si quis propria au-

thoritate ingrediatur, cœsuras, & pœnas in Constitutionibus irrogatas non contrahit? Respondeo, Censuris, & pœnis eum afficiendam ut tradit Nauarrus loco citato, Pius Quintus, & Gregorius XIII. declararunt, Constitutiones in hoc etiam locum habere, quoniam grauius peccant, qui sine legitima facultate impetrata ingrediuntur: qui item eos admittunt, eisdem pœnis subijciuntur.

Caput I X.

Alia questiones de Sanctimonialibus dissoluantur.

PRIMO queritur, An plures Moniales in monasterium admitti possint, quam ex redditibus sustentari queant? Respondeo, in *cap. Periculoso, §. Sanè, De statu Regul. in sexto, ita statui: Distinctius inhabebimus, ne in ea monasterijs Ordinum non Mendicantium, aliqua recipiantur de cætero in sorores, nisi quos poterunt de ipsorum monasteriorum bonis, siue proventibus absque penuria sustentari, si secus actum fuerit, irritum decernentes.* Sic ibi. Hinc efficitur, ut si vltra numerum earum, quæ ali, & sustentari possunt, aliqua admittantur, nulla sit receptio in ijs Ordinibus foeminarum, qui bona in commune possident. At verò Concil. Tridentinum *sess. 25. cap. 4.* latius ita præcipit: *In monasterijs, & Domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus proprijs monasteriorum, vel ex consuetis elemosinis commodè possint sustentari.* Hæc Concilium. Quibus verbis tria comprehendit, quæ non erant in Constitutione Bonifacij Octaui. Nā comprehendit in primis Cœnobia virorum, & foeminarum; Bonifacius verò tantum Monialium. Deinde, Cœnobia tum Ordinum Mendicantium, tum non Mendicantium: Bonifacius verò solum non Mendicantium. Postremò, Concilium ponit verbum illud, commodè Bonifacius verò posuerat illud, absque penuria; Vnde sublata quæstio est, quam Ioannes Andr. in *Glossa* tractauit, An numerus Monialium possit augeri, dum modo absque penuria, quamuis non commodè sustentari queant? Respondit enim posse; at verò Concilium aperte dicit non esse plures recipiendas, quam quæ commodè ali possint. Et Pius Quintus in *Constitutione, quæ incipit CIRCA pastoralis*, hanc curam in Episcopum reijcit. **QVÆRERE**, an hoc Decreto Concilij abrogetur consuetudo, qua Moniales, non nisi cum dote in monasterio recipiuntur? Respondeo, nihil certi Concilium de dotibus statuisse. Vnde de consuetudine iudicandum est, secundum ius commune, quo monasterium nihil potest accipere tãquam pretij pro ingressu: Dos verò Monialibus non datur loco pretij, sed tanquam alimētum, & vitæ subsidium. Deinde quæres, an in Monialium Cœnobia, ubi iuxta Concilij Decretum, Episcopus certum numerum constituit, liceat in locum Monialium deficientium, alias recipere, pacto, & conuentione iniuncta, de certa quantitate pecuniæ pro dote reddenda? Respondeo, si ius inspiciamus, & communem Doctorum sententiam sequamur, non licere. Nam ex *capit. Quoniam, & capit. Non satis de Simonia*, perspicuum est, fas non esse in recipientibus Monialibus pacisci de Dote tradenda: Si ve-

rò ratio consuetudinis habeatur, Moniales iure admittuntur etiam cum pacto dotis recipiendæ. Quidam, consuetudinè cum iure conciliare contendunt, dicentes, iura prohibere dotem exigere tanquam pretium, non tanquam aliquid ad vitam necessarium. Consuetudo verò introduxit dotem non tanquam pretium, sed tanquam necessarium ad vitæ usus subsidiū. Cæterum hæc mihi conciliatio non placet, eo quòd iura vniuersim videntur pacta reddendæ, tradendæ quæ dotis, prohibere. Quare alij respondent, prohiberi quidem omne pactum dotis tradendæ ante ingressum, non tamen prohiberi receptionem Monialis cum dote, quam spontè tradit absque vilo pacto antecedente. Verum tamen hoc etiam responsum consuetudinè minimè defendit. Quare mihi quidem verius apparet, quòd alij traderunt, ius commune, in hac parte, consuetudine abrogari: nec mirum, si quidem potest abrogari. Nam quamuis iuris diuini sit, vt pro ingressu in Religioem nihil exigatur tanquam pretiū; hoc tamen est iure diuino, aut naturali ita prohibitū, vt dos accipiatur tanquam necessarium ad vitam Monialis alimentum. Sed ius Canonicum lege cauit, ne talis dos, aut elemosyna ex pacto, & conuentione recipiatur: & in hac parte consuetudo Iuri Canonico auctoritatem abrogauit. Non est igitur consuetudo, vbi recepta fuerit, damnanda.

S. Th. 2. 2.
q. 106. ar. 2.
ad 4.

Secundò quæritur, Quid statuerit ius Canonicum circa professionem Monialium, & circa rationem eas in monasterium admittendi, nimirum à quo, quando, & quomodo recipi debeant? Respondeo: in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 15. de Regular. iure nouo prohiberi, quo minus in Religione tam virorum, quam mulierum professio fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in Probatione steterit, ad Professionem admittatur: & nulla sit professio antea facta. Hæc ibi. Ante Concilium tamè Tridentinum professio poterat emitti à fœmina post duodecimum ætatis annum exactum, & professio valebat facta ante Probationis annum expletum. Eodem Concilio, & sess. cap. 17. de Regular. decernitur, vt si puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, nò ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quàm explorauerit Episcopus, vel eo absente, aut impedito, eius Vicarius, aut aliquis, eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat. Et si voluntas eius pia, ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas iuxta monasterij, & Ordinis regulam, & monasterium fuerit idoneum liberè ei proficere licet. Cuius professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta monasterio, eum ante mensem certorem facere. Quòd si non fecerit, quandiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit. Insuper cap. 16. statuitur, vt liberè omnino fœminæ Religionis institutum profiteantur, nec ipsæ Moniales vllas renunciations, obligationesue bonorum, & hereditatum faciant, ante duos menses professionem proximè antecedentes. Sic enim habet Concilium: Nulla renunciatio, aut obligatio antea facta

etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij facta intra duos menses proximos ante professionem: ac non alia intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiam si cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, irrita sit, & nullius effectus. Et paulò infra: Ex Nouitijs, vel Nouitiæ bonis, tempore quo in Probatione est, ante professionem, exceptio victu, & vestiu, quocunque preterito à parentibus, vel propinquis, vel curatoribus nil monasterio tribuatur. Quin potius ipsi Nouitijs abeuntibus ante professionem, omnia restituantur, quæ sua erant: & Episcopus per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. Hactenus Concilij verba, vbi id, quòd statuit, nullam renunciationem valere; locū non habet in puellis, quæ educationis, & institutionis solius gratia in monasterijs recipiuntur; neque in testamētis, vel vltimis voluntatibus Monialium, quæ in Probatione versantur, neque in elemosynis, si quas ex suis bonis erogauerint. Nam Concilium absolutè, & simpliciter solum ait: Nulla renunciatio, aut obligatio. QVAERES, an si renunciatio ante susceptum habitum, siue ante ingressum in Religionem facta sit, valeat? Respondeo, valere: nam Concilium loquitur de renunciationibus factis post ingressum in monasterium, & habitum susceptum ante professionem, nimirum tempore Probationis. Si tamen facta esset voluntate Religionem suscipiendi, tanquam facta in fraudem huius Constitutionis, irrita habenda esset. Quòd item addit Concilium: Abeuntibus Nouitijs omnia sua bona restituantur: intelligendum est, etiam cum fructibus, si qui fuerint ex illis percepti, deductis tamè alimentis illius temporis, quo fuerint in probatione. Præterea, idem Concilium eadem sess. cap. 18. anathemati subijci omnes cuiuscunque qualitatis, vel conditionis tam Clericos, quàm Laicos, vel Regulares qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque aliquam virginem, vel viduam, vel aliam quamcunque, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum in monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, vel ad emittendam professionem coegerint, & qui consilium, auxilium, vel fauorem dederint, vel quoquo modo scientes presentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint: & contra, qui quoquo modo sine iusta causâ impederint virginum, vel aliarum mulierum voluntatem vel accipiendi, vel voti emittendi. Ita Concilium. Quo fit, vt puella per vim in monasteriū inclusa, inde sit educenda, etsi quid dāni passâ est, rescindendum impensis eorum qui vim intulerunt. Itè, colligitur, vt patres, & fratres, qui filias sororesque, vel habitum Religionis suscipere, vel votum, aut professionem emittere cogunt, in eadem communicationem incurant. QVAERES, an eam poenā contrahat pater, qui filiam naturalè ea lege hæredem instituit, vt Monialis fiat, sin minus ad monasteriū bona pertineant, & filia pro alimentis habeat tantummodo viginti quinque aureos: nam videtur filia quadam ratione ad ingrediendum compelli? Respondeo, minimè, quia Concilium vitur verbo coegerint, at coactio non est nisi cum vis inferatur. In exemplo verò producto, causa potius est filiam ad ingrediendum in monasterium inducens, quàm cogens, eo quòd cum naturalis sit, non legitima, ius ad hæreditatem nò habet; & proinde libere potuit pater illam ea lege instituire hæredem. Præterea idem Concilium

eadem

eadem sessione. ca. 10. statuit, vt Episcopi, & ceteri Superiores Monialium diligenter attendant, vt admo- neantur Sanctimonialia saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum facere, & sacrosanctam Eucharistiam suscipere: & prohibet Synodus sanctissimum Christi corpus intra Chorum, vel septa monasterij, & non in publica Ecclesia asseruari, non obstante quocunq; indulto, aut priuilegio. Item, præcipit, vt præter ordinarium confessarium, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, & assignetur, qui omnium Monialium confessiones audire debeat.

QVAERES, An confessarij huiusmodi in Cœnobijs Monialium, quæ sunt in cura, & potestate Religiosorum, examinandi sint ab Episcopo, an verò à Superiore ipsius Ordinis? Respondeo, à Superiore, cui Moniales sunt proximè subiectæ: propterea quod illæ sint ab Episcopi iurisdictione exemptæ. Et cap. 11. decernit Concilium, *In monasterijs, seu Domibus virorum, aut seminarum, ad que pertinet animarum cura personarum secularium, præter eas; que sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia, persone tam Regulares, quam seculares huiusmodi curam exercentes, subijti immediate in his, que ad dictam curam, & sacramentorum administrationem attinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius diocesi sunt sitæ: nec ibi aliqui, etiam ad nunc amonibiles deputentur, nisi de eiusdem consensu, ac præiudice examine per eum, aut eius Vicarium faciendò.*

Tertio queritur, quid ius statuerit de confabulationibus, & colloquijs cum Monialibus? Respondeo: *In cap. Definimus 18. quæst. 2. ex octaua Synodo sancitum est, vt quando necessaria vitæ ad Moniales deferuntur, ea extra ianuam suscipiat Abbatisa: Et si contigerit, vt aliquam propinquam suam videre Monachus voluerit, in præsentia Abbatisæ, cum ea Moniali propinqua confabuletur modice, & breuiter, & ab ea statim discedat. Et in Concilio Cabilonensi 2. Carolo Magno coactò Canon. 55. dicitur: Abbatisa cum viris, Clericis, siue Laicis, horis minime commodis non loquatur. Et Can. 56. A vespera vsque ad Primam, nec Abbatisa, neque aliqua Sanctimonialium cum quibuslibet viris vllum colloquium habeat, nisi necessarium, quod euitari non possit: & tunc illud coram testibus habeat. Demum Can. 61. dicitur: Sanctimonialibus cum nullo viro colloquium habere liceat, nisi in Auditorio, & ibi coram testibus.*

Quarto queritur, An Moniales suscipere debeant Sacramenta à Parocho, siue Presbytero, in cuius Parochia situm est monasterium. Quæstio intelligitur de iure communi, non speciali, quod ex priuilegijs Romanorum Pontificum existit, vel ex aliqua consuetudine vsu approbata descendit: item intelligitur de Sanctimonialibus Episcoporum iurisdictioni subiectis, non de exemptis, cuiusmodi sunt eæ, quæ Ordinum Mendicantium, vel Monasticorum Superioribus proximè subijciuntur. *Panormitanum in cap. dilectus de cap. Monach. numer. 17. docet, Cœnobia Monialium in hoc esse Parocho communi iure subiecta, sicut olim Monachorum omnium Cœnobia subijciabantur Episcopo, in cuius diocesi erant constituta. Addit deinde idem Panormitanus, passim esse vsu receptum, vt Episcopus sanctimonialibus sibi proximè subiectis presbyterum det, qui ipsis*

Sacramenta subministret: quem Cappellanum appellant.

Quinto queritur, Quænam sceminarum Canonica: um secularium nomine in iure accipiantur, & an sint eiusmodi Canonice scemina: verè, ac simpliciter Religiosæ; an item vitæ regula vitæ ab Ecclesia approbata? Respondeo: *In Clement. Attendentes, De statu Monacho, dicit: Illas quoque mulieres, que vulgo dicuntur Canonice seculares, & vt seculares Canonice vitam decant, non renuntiant, nec professionem aliquam facientes, per locorum Ordinarios si exemptæ non fuerint, suæ si verò exemptæ fuerint, Apostolica auctoritate præcipimus visitari: Per hoc tamen non intendentes earum statum, regulam, seu Ordinem approbare. Et in ca. Indemnitatibus, §. supra dictis, De elect. in 6. dicitur: Sunt iuxta quarundam prouinciarum consuetudinem, mulieres, que nec proprijs renuntiant, nec professionem faciunt Regularem, sed viuunt, vt in secularibus Ecclesijs Canonice: nec tamè earum statum, Ordinem, seu Regulam intendimus approbare. Hæc ibi.*

Sciendum est, in Germania, & Flandria esse mulieres, quæ simul congregantur, & instar Canonice Regularium viuunt, ac Diuinas laudes, & preces recitare, & cantare solent, & vulgo dicuntur Canonice seculares. Sed hæc non sunt verè, & proprie Religiosæ: nec enim trium votorum professionem emittunt, & proinde nulla lege clausulam seruare coguntur. Præest vna cæteris, quæ Abbatisa, aut Præposita vocatur, quæque non solum in alias Canonice, sed etiam in Clericos aliquando iurisdictionem, & potestatem habet, eo quòd huiusmodi Clerici, sint ipsius auctoritate Ecclesijs, siue Cappellis Canonice Collegio subiectis præfecti: vt colligitur ex cap. Dilecta, De Maiorit. & obedient. De his mulieribus tradit Glossa, intelligi id, quod dicitur in cap. Quicunque, 12. quæstion. quint. ad finem, vbi insinuat ex Concilio Triburiensi Sanctimonialia proprium habere, de quo testari queant. An verò talium Canonice viuendi ratio reproberetur in dubium vocatur. Glossa in eo cap. videtur asserere, esse iure communi damnatam in cap. Perniciosam 17. quæstion. 2. vbi habetur: Perniciosam, & detestabilem consuetudinem quorundam mulierum, que licet neque secundam Regulam S. Benedicti, neque Basilij, aut Augustini viuunt, Sanctimonialia tamen vulgò cenferi desiderant, aboleri decernimus. Cum enim iuxta Regulam S. Benedicti degentes in Cœnobijs, tam in Ecclesia, quam in Refectorio, atque Dormitorio communiter esse debeant, propria sibi vendicant receptacula, & priuata domicilia. Hæc ibi. Ac verò quicquid Glossa tradiderit, non est huiusmodi Canonice viuendi ratio à iure damnata. Nam in Clementina, attendentes, & cap. Indemnitatibus supra citatis, Bonifacius Octauus, & Clemens Quintus, quamuis, vt Religionem non approbent, non tamen improbant eam viuendi normam, & institutum. **OBIECTES**, Cum sub Regula S. Benedicti huiusmodi Canonice viuunt, fit inde, vt verè, & simpliciter Religiosæ sint? Respondeo, non satis esse si sancti Benedicti, Regulam seruent ex quadam parte, & simul in vnum Collegium conuocata: retineant eundem vitæ modum, ac normam, eodem vestitus genere videntes, & vni tanquam capiti subiectæ, in idem Orationarium ad psallendum, & in communem locum ad edendum conuenientes, quoniam professionem nullam

*Naui. conf.
s. 1. & conf.
s. 2. de re-
gularib.*

nullam emittunt. Hinc etiam colligitur, (quod rectè Nauarrus annotauit) Moniales, quæ nomine Turris nouæ Speculorum in Vrbe vulgo appellantur, non esse verè, & propriè Religiosas: & propterea non esse cogendas clausuram seruare, ob id, quod nulla trium Votorum professione solemnè sese adstringunt, & proinde his legibus, & regulis, quibus alligantur verè, & propriè sanctimoniales, minimè tenentur: potius enim oblatæ, quàm Moniales dici possunt, ac debet. Idem iudicium est de ijs Monialibus, quæ communiter Tertiariæ vocantur, seu Tertij Ordinis Sancti Benedicti, quæ solemnem professionem non emittunt. Verum harum alia sunt, quæ tribus votis, ac solemnè professione obligantur, & hæc verè, & propriè Monialium nomen, & rationem sibi vendicant, & clausuræ, & cæteris iuris Canonici legibus obstringuntur. Alia verò sunt, quæ nullam votorum professionem faciunt, atque hæc Sanctimoniales verè, & propriè non intelliguntur, quamuis in vno eodemque domicilio simul habitent: & cum proprium possidere queant, testandi ius habent, nec Canonica clausuræ seruandæ legibus tenentur obstrictæ.

Caput X.

De Abbatisa quam vocant, & de Sanctimonialium Cænobys.

P R I M O queritur, Quo modo sit Abbatisa eligenda? **R**espondeo: In Concilio Tridentino Sess. 25. ca. 7. de Regularibus modum præscribi his verbis: *Abbatissa, & Priorissa, & quocumque alio nomine Præfata, vel Præposita eligatur nã minor annis quãdraginta, & que octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit: quod si his qualitatibus non reperiat in eodem monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videntur, ex his, que in eodem monasterio annum trigessimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, vna eligatur. Duobus verò monasterijs nulla præficiatur. Et si qua duo, vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, vno excepto, intra sex menses cætera resignare. Hæc ibi.*

S e c u n d o queritur, Qua ratione in electione Abbatisæ, suffragia ferri debeant? **R**espondeo, In Concilio Tridentino eadem sess. 25. cap. 6. districtè præcipi, vt in electione Superiorum quorumcumque Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum suffragia ferri debeant secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec voces, aut suffragia absentium per alios substitutos suppleantur. Quod si alio modo electio fiat, sit irrita: & qui alio modo se eligi permiserit, ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat. Sic ibi. Potest tamè ab lens suum suffragium, aut votem scripto mittere, vel cõstituere Procuratorem, secundum Constitutiones cuiusque Religionis, vt Congregatio Cardinaliũ cõsuevit, & declarauit: quod referatur in Priuilegijs Minimorum, & Fratrum Ordinis S. Hieronymi in Hispania, verbo *CONCILIUM*. In electione quoque Abbatissarum potest Episcopus, vnã cum suo Vicario, vel Secretario, vel

alio, quem ipse ad id sibi afcuerit, & delegerit suffragia, siue vota cuiusque Monialis ore tenus expressa audire.

T e r t i o queritur, An Abbatisa post electionem debeat confirmationem accipere? **R**espondeo, de confirmatione Abbatisæ nihil esse in iure constitutum. At verò in *Clement. Attendentes, de statu Monachorum*. videtur tanquam certum poni, eam confirmari solitam, cum dicitur, eam benedici debere intra annum à suæ confirmationis tempore. **Q** u æ r e s, à quonam confirmari debeat? **R**espondeo, si exempta sit, & Romano Pontifici proxime subiecta, ab eo, vel ab alio eius auctoritate est cõfirmanda: Si verò exempta nõ sit, Monachorum, siue Religiosorum Præfectio subiecta, ab eo confirmationem accipit. Si sit in Episcopi iurisdictione, & potestate, ab eo confirmatur: nam per confirmationem iurisdictioni conferitur. Ergo exempta, ab Episcopo confirmari nequit.

Q u a r t o queritur, An Abbatisa post confirmationem egeat benedictione, seu consecratione? **R**espondeo: In *Clement. Attendentes, de statu Monachorum*. dicit: *Si atinimus, vt quæuis ad regimen Abbatiarum assumpta, in monasterijs, in quibus Abbatisæ sunt solite benedicti, intra annum à suæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis suscipiant: alioqui à iure suo, nisi sub sit causa rationabilis, prorsus se nouerit cecidisse. Hæc illo in loco.* Ergo vbi moris non est Abbatisas benedicti, benedictione non egent. Et fieri potest, vt annotauit Glossa, vt quamuis olim benedicti consecuerint, nunc minimè soleant. **R**ogabis, vnde nam consuetudo illa internosci queat? **R**espondeo cum Glossa: si de consuetudine constat, quadraginta annorum spatium probata, censetur Abbatisa de more benedicti: Si verò defuendo sit per quadraginta annorum spatium probata, non eget benedictione. Quod si intra idem tempus varietas sit, ita vt alia benedicantur, alia minimè, liberum est Abbatisis benedictionem suscipere, aut non suscipere. Notat item Glossa, vbi Abbatisæ de more benedicuntur, eas iustis de causis excusari, quæ benedictionem non petunt ob morbum; aut quia is, cuius est benedicere, recusat, aut legitime non potest; aut quia Abbatisa nondum pacificam possessionem adeptæ est. **Q** u æ r e s in super, à quo benedictionem accipere debeat Abbatisa? **R**espondeo, in eadem *Clementina dicit*, ab illis, ad quos spectat iure communi, vel peculiari confirmatio Abbatisæ. **R** v r s v s **Q** u æ r e s, Vtrum benedictio Abbatisæ possit iterari? **H**ugo negat, quia est veluti quædam consecratio. Alij verò affirmant, quamuis negent Abbatis benedictionem iterari posse. Glossa ait, quæri debere quid in hac re curiæ Romanæ usus habeat. **E**go certè causam nullã video, cur sit iteranda benedictio Abbatisæ. Nam si dixeris esse repetendam, si Abbatisa alteri secundo Monasterio præficiatur, cuius Abbatisæ de more benedicuntur, dicam ego sufficere, si, cum est in primo Monasterio ad præfecturam electa, benedictionem acceperit, vbi est quoque vsu recepta Abbatissarum benedictio. Certi autem iuris est, ait Glossa, huiusmodi benedictionem esse simplicem, & non qualis est benedictio Abbatis, qui per benedictionem ius habet primam Clerici

Tonfa.

Tonfuram, & Minores Ordines conferendi, & solemniter Monachos benedicendi; quorum neutrum convenit benedictioni Abbatis, ac proinde quolibet die, potest Abbatis benedictionis beneficium suscipere: nec pretium, commodumque temporarium, pro huiusmodi benedictione absque Simoniacae labe datur, vel accipitur, *ca. Sicut, De Simonia.*

Quintò queritur, An Abbatis sit capax potestatis spiritualis: Respondeo, convenire inter omnes Theologos in 4. dist. 19. & dist. 25. & Canonici iuris interpretes in cap. dilecta, de maioria. & obediens, non esse capax potestatis, quae dicitur potestas spiritualis iurisdictionis, dubiae est quaestio. Sanctus Thomas, in 4. dist. 19. quest. 1. art. 1. quest. 3. ad 4. & dist. 25. quest. 2. art. 1. quest. 1. ad secundum. Paludanus 4. dist. 19. quest. 2. art. 1. Sylvest. in verbo, Abbatis, num. 1. Soc. in 4. dist. 20. quest. 1. artic. 4. & multi alij Theologi negant eam esse capax spiritualis iurisdictionis Ordinariae, sed tantum commissae, & delegatae Romani Pontificis auctoritate: Panormitanus tamen in cap. dilecta, citato, & ceteri iurisperiti cum Glossa ibidem, videntur innuere illam esse capax iurisdictionis etiam ordinariae non solum delegatae, & demandatae, id colligunt ex c. dilecta, de maioria. & obediens, ubi dicitur de Abbatis quadam, Clericos sibi subiectos à Beneficio, & Officio suspensisse: nam certè quod quis ratione dignitatis muneris publici, quo fungitur, facit, id ordinaria auctoritate, non commissaria facit. Dicunt in super Glossa, & Abbas in illo cap. dilecta, citato, posse iure Abbatis, Ecclesias, & Beneficia suo Monasterio subiecta conferre. Vera esse haec sententia videtur: nam sicut foemina ratione dignitatis, vel muneris, capax est civilis iurisdictionis, potest enim esse Regina, Ducissa, vel Comitissa, ut vulgò dicitur; sic etiam Abbatis ratione publici muneris, & officij, ius habet aliquando instituendi Clericos in Ecclesijs suo Monasterio subiectis, & beneficia conferendi: ut colligitur ex cap. dilecta, citato, sed hoc non negant S. Thomas, Paludanus, & alij Theologi, quando haec iurisdictionis convenit Praefectae monialium ratione monasterij, cui praest.

Sextò queritur, An Abbatis ius habeat suspendendi videlicet Clericos suae iurisdictioni subiectos? Respondeo Glossa in cap. dilecta, citato. A Beneficio quidem, non tamen ab officio, eam posse suspendere. At Innocentius ibidem sentit, eam posse ius habere suspendendi ab utroque, à Beneficio videlicet, & officio. nam in cap. dilecta, supra citato, iubet Pontifex suspensionem servari, qua Abbatis suos Clericos à Beneficio, & officio suspendit, & amouet. Quare standum existimo sententiae Panormitani. Sicut enim Abbatis ius non habet excommunicationis, aut interdicti sententiam ferendi, sic nec suspensionis propriae acceptae, siue à Beneficio, siue ab officio: hoc est, non potest suos Clericos ita suspendere, ut si suspensi ipsi Divina ministeria, & officia praestiterint, & obierint, irregularitatem contrahant. Haec enim suspensio est propriae censura Ecclesiastica; foemina autem, huiusmodi poenam irrogare minime potest. Suspensio autem illa, qua in cap. dilecta, Abbatis Clericos suspendit, est improprie,

ac late suspensio, quatenus est praecipio quaedam, qua quis suo munere, & officio fungi prohibetur. Et Glossa cum negat Abbatis ab officio suspendendi ius habere, locum habet in suspensione primo modo accepta.

Septimò queritur, An penes Abbatis sit potestas iubendi, & imperandi aliquid, quo Monialium conscientiae teneantur? Sotus in quart. distinctione 20. questione prima, articulo quarto. Victoriam secutus, non plus auctoritatis tribuit Abbatis, quam matri familias, civiliue magistratui: quemadmodum, inquit, penes hos potestas spiritualis non est, sed domestica, & civilis, & proinde nihil imperare queunt, quo subditorum conscientiae obligentur, nisi ratione rei, & materiae imperatae, quae si grauis fuerit, & alicuius momenti, grauem obligationem continet. sin minus, leuem. Sic etiam Abbatis, cum potestatis spiritualis capax non sit, nihil praecipere, & iubere potest, quod grauem obligationem inducat, nisi ratione rei, quam fieri iusserit: potest praecipere Monialibus, ne externis literas scribant, neque illorum literas recipiant, ne cum viris loquantur, ne ad hortos exeant; sed haec, & similia praecipit pro grauitate, aut leuitate materiae Monialium conscientias obstringunt, non quia Abbatis velit, ut ita obligentur, ut si aliter fecerint Moniales, lethaliter peccent. At Abbates, & alij Praefecti spirituales, possunt aliquid praecipere excommunicationis poena constituta in eos, qui non paruerint. Haec ex Soto. Nihilominus tamen potest, ut etiam concedit Sotus, Abbatis praecipere Monialibus virtute sanctae Obedientiae, & ratione voti facti: nam munere, & officio publico fungitur, eique Moniales vi professionis emissae parere coguntur, & in eam Superiores Ordinis Regularis, sub quo militant, potestatem, & iurisdictionem transtulerunt.

Octauò queritur, Quam potestatem habeat Episcopus in Monialium Cenobis? Respondeo, primo ea visitare posse, ut clausuram seruandam curet. Deinde, ut exploret animum, & voluntatem Virginum, cum habitum suscipiunt, & dum professionem emittunt, ut constat ex ijs, quae haecenus diximus. Et in Concilio Tridentino Sessione 25. capit. quint. De Reformatione statuitur, ut current Episcopi, cum Monasteria extra mœnia urbium, vel oppidi sita sunt, si ita videbitur expedire, Sanctimonialia ad noua, vel antiqua Monasteria intra vrbes, vel oppida reducendas; inuocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachij secularis: & impediētes, vel non obediētes, per censuras Ecclesiasticas parere compellant.

Caput XI

Quot, & quae sint approbatae Regulae Ordinum Religiosorum.

PRIMO queritur, Quot haecenus Ecclesia Religionum Regulas approbauerit? Respondeo, in cap. Perniciosum, 17. questione secunda, tanquam approbatas, tres numerari, nimirum Sancti Basilij, Sancti Augustini, & Sancti Benedicti. Sed postea ab Honorio Tertio approbata est quarta Regula Sancti Francisci: atque ita Regulae approbatae, tum iure communi, & antiquo, tum iure speciali, & nouo, sunt quatuor, praeter eas, si quae sunt

post Honorium III. auctoritate Pontificia confirmata.

Secundò queritur, Quid interfit inter Regulam Religionis, & Constitutiones? **Respondeo** cum Ioanne Andrea, & Antonino, Regulam non posse, nisi Romani Pontificis auctoritate mutari; Constitutiones verò posse Superiorum Regularium, præsertim in vnum conuocatorum auctoritate, aut ex toto, aut ex parte variari. Ratio vtriusque est, quia Regula est à Romano Pontifice, siue à iure communi confirmata; at Constitutiones solùm totius Ordinis auctoritate conduntur, & approbantur.

Tertiò queritur, An Regula S. Basilij, quæ est omnium prima, in ijs omnibus, quæ seruanda præscribit, præcepti obligationem inducat? **Respondeo**, cum Antonino *part. 3. tit. 16. cap. 1. §. 8.* minimè, nam aliqua continet tanquam consilia, & monita: quare qui sub huiusmodi Regula militant, nõ coguntur omnia tanquam præcepta seruare; nisi eorum Constitutiones, aliquid tanquam præceptum addiderint.

Quartò queritur, Quænam S. Basilij Regula contineat præter tria Religionis vota? **Respondeo**, B. Antoninum *loco citato*, & Ang. *in verb. Religiosus n. 28.* Regulam S. Basilij ponere, non quidem (vt ego reor) puram, & simplicem, sed qualem Carmelitani Fratres, qui eam profitentur, obseruant. Cuius hæc sunt capita præcipua.

Primò, *Vt Monachi carnes non edant nisi ratione morbi, aut incommodæ valetudinis, aut extra Cœnobita iter facientes: tunc enim licet eis pulmenta cocta, cum carnibus comedere.*

Secundò, *Vt ieiunium seruent à die Exaltationis Crucis factæ, vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis, exceptis Dominicis, quamuis hoc Regulæ S. Basilij adiectum esse videatur. Neque enim Basilij tempore festus dies Exaltationis Crucis erat institutus, neque apud Græcos Sabbato ieiunium seruabatur. Quare totum hoc de ieiunio caput, existimo, esse additum ab Alberto Hierosolymitano Episcopo, qui ex Basilio Regulam collectam Carmelitani fratribus tradidit, potius latinorum, quam Græcorum more seruandam.*

Tertiò, *Vt officium Diuinum iuxta Patrum institutionem, & receptionem Ecclesiæ morem psallant.*

Quartò, *Vt silentium nocturnum à Completorio vsque ad primam horam diei sequentis teneant, & ceteris temporibus non nisi pauca, & ea necessaria loquantur.*

Quintò, *Vt singuli in suis cellulis commorentur interdium, & nocturnum, & lecturam scripturarum, & contemplationem sint inuenti.*

Sextò, *Vt otia fugiant.*

Septimò, *Vt in medio cellularum Oratorium, siue Sacellum constituatur, quo omnes quotidie mane ad rem audendam conueniant.*

Octauò, *Vt omnibus vnus ex ipsis præsit vnanimi consensu, vel saltem maioris, & posterioris partis suffragio electus, cui ceteri pareant, quique vocetur Prior. Hoc caput constituit Almericus Patriarcha Antiochenus, qui cum esset natione Gallus, patria Lemouicensis, more Latinorum, Cœnobij Præfectum vocari Priorem iussit, non Abbatem, ritu Græcorum.*

Nonò, *Vt singuli singulas habeant cellulas separatas, prout arbitrio Prioris, & aliorum Fratrum assensu aut po-*

tioris, aut maioris partis eorum fuerint cuique assignata: nec liceat alicui nisi voluntate Prioris suum locum mutare, aut cum alio commutare.

Decimò, *Dominicis diebus, vel alijs, vbi opus fuerit, conueniant, & de obseruatione Regulæ, & Ordinis custodia, & communi animarum salute tractent: Errata Fratrum, si quæ depræbensa sint, corrigantur.*

Vndecimò, *Vt nullus Fratrum aliquid esse sibi proprium aut suum dicat, sed sint illis omnia communia: & distribuatur cuique auctoritate, & opera Prioris, vel alterius Fratris, arbitrio ipsius, ad id destinati, prout opus erit, habita ratione ætatis, & indigentia singulorum.*

Duodecimò, *Ne fundos, aut possessiones habeant, etiam in commune, sed cibo mendicatio viuant. Hoc quamuis aperte Regula non expresserat, Gregorius tamen Nonus constituit, vt Carmelitani ex elemosynis sibi oblatis, vel mendicatis alerentur: quod deinde Innocentius Quartus, & Alexander Quartus, suis literis confirmarunt. Postea Eugenius Quartus Regulam aliqua ex parte sua auctoritate laxauit. Concessit enim, vt tribus tantum diebus cuiusque Hebdomadæ ieiunium seruent, à festo Exaltationis Sanctæ Crucis vsque ad Dominicam Resurrectionis, præterquam in tempore Aduentus, & in Quadragesimo ieiunio, & alijs Ecclesiæ consuetis ieiunijs: & vt horis congruis in templis, claustris, & hortis, Cœnobite deambulare queant. Item Romanorum Pontificum concessu, Cœnobita in commune annuos redditus, & possessiones habere queunt.*

Quintò queritur, Quinam Religiosi militant sub Regula S. Basilij? **Respondeo**, sub ea olim, vt etiam nunc, plerisque Orientis Monachos, præsertim in Græcia, & Armenia militasse, & nonnullos etiã per Calabriam, & Siciliam, eo quòd diu, hæc duæ prouinciæ Græcorum imperio paruerunt, Carmelitani etiam, vt dixi, eandem Regulam seruant.

Sextò queritur, Quænam S. Augustini Regula contineat? **Respondeo**, eam præter tria consuetæ vota, plura continere, quàm Superior Regula habeat. Inter alia habet, vt Præfectus Monasterij, Prior, vel Præpositus vocetur. Vnde factum est, vt Præfecti Religionum hanc Regulam proficientium, Priores, vel Præpositi appellentur. Deinde, vt communi loco ad comedendum vtantur, & inter comedendum, ad mensam sacra lectio recitetur, & audiatur. Item, vt nemo literas scribat, aut recipiat absque nutu Prioris, & alia quædam, quæ hic commemorare non est necesse.

Septimò queritur, An omnia in Regula Augustini contenta obligent conscientiam more præcepti? **Henricus quodlibet. 6. quest. 17.** affirmat, inde per motus, quia initio Regulæ dicitur: *Hæc sunt, quæ vobis obseruatis, præcipimus.* Angel. *in verbo religiosus num. 28.* cum Antonino *part. 3. tit. 16. cap. 1. §. quinto.* docet, Regulam quidem Pontificiam indigere declaratione, verum communis opinio, vt ipse quoque Angelus fatetur, censet non omnia obligare. Nam verbum Præcipio apud Latinos Scriptores idem sæpe significat, quod præmonere, & de ijs etiã dicitur, quæ leuem tantum obligationem continent.

Octauò queritur, Qui Religiosi sub Regula S. Augustini militant? **Respondeo** militare sequentes: in primis militat Canonici Regulares; Deinde

Ioan. An.
dre. Nouel.
Anto. p. 3.
tit. 16. c. 1.
§. 4.

de ij, qui Præmonstratenſes appellantur. Et Fratres Prædicatoriæ familiæ: ex qua prodierunt tres ſummi Pontifices, Innocentius V. Benedictus XI. Pius V. Cardinales teſte Antonino 3. part. tit. 23. cap. n. ſ. 1. vſque ad annum Domini 1458. vigintitres, Patriarchæ ſedecim, Archiepiſcopi viginti quinque, Epifcopi plurimi. Sunt ex hoc Ordine, in Sanctõrum numerum relati, S. Petrus Martyr, S. Thomas Doctõr Eccleſiæ, S. Vincentius Ferrerius cõcionator egregius, S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, S. Iacynthus Polonus S. Catharina virgo Senenſis. Et teſte Antonio Senenſi Luſitano in Bibliotheca fratrum Ordinis, fuerunt in hoc Ordine Scriprores 651. decem, qui in omnibus Bibliõs libros Cõmentarios ſcripſere, plures quã quinquaginta, qui in quatuor libros Sententiarum. Qui ſcripſere ſummas caſuum conſcientiæ, viginti. Vnus Generalis Superior toti Ordini præſt: cuius adminiſtratio eſt ad vitam perpetua. Sub eadem regula militant ij, qui dicuntur Serui B. MARIÆ, ſive vulgo Seruitæ; qui item in Hiſpania vocantur nomine S. Hieronymi, ſive Hieronymiani; qui etiam in Italia Teſuati nuncupantur; necnon, & ij, quos vulgus præferunt Hiſpanienſe, dicit de nomine Sanctæ Trinitatis Trinitarios; Alij demum à Captiuorum redemptione nomen adepti, quos Hiſpani vulgari-ter vocant De la mercè. De Canonicorum regularium origine, progreſſu, & incremento Superiori libro tractaui, cap. 22.

Eſt in Hiſpania Ordo Religioſorũ, qui de Sancte Trinitatis nomine nũcupantur. Inſtitutus eſt fertur anno ſalutis 1193. quo anno ad ſummi Pontificatum Innocentius Tertius eſt euectus, vt teſtantur Sabellicus Ennea. 9. libr. 5. ad finero, Caffaneus in Cathalogo. part. 4. conſidera. 63. Quidam Ioannes Matra, & Foelix anachoretæ, cum in Gallica Prouincia prope Meldenſem agrum vitam ſolitariam agerent per quietem, ter diuinitus admoniti Pontificem adierunt, ab eoque petiere certum viuendi modum: ille haud multo poſt etiam oraculo, vt aiunt monitus anachoretas excepit, illiſq; negotium mandauit, vt Chriſtianos à Mauris captos pretio redimendos curarent. Viderat eam Pontifex Angelum mira ſpecie, fulgentem, manuſque in modum Crucis imponentem, & captiuum Chriſtianum cum alio captiuo Mauro cõmutantem: in cuius pectore erat Crucis imago tribus coloribus, candido, rubro, & cœruleo diſtincta. Et propterea iuſſu Pontificis hi Religioſi amictu candido induuntur, in pectore Crucis imaginem partim cœruleam veſti aſſutam geſtãt. Et primum pallio etiam albo vebantur, ſed Pij Quarti auctoritate in fuſcum mutarunt. Eorum moſ, & inſtitutum eſt redimere ex eleemoſynis vndequaque collectis Chriſtianos, qui apud Mauros Chriſtiani nominis hoſtes capti in ſeruitute tenentur, & inopia preſſi nihil habent, quo ſe redimant, S. Auguſtini Regulam ſeruiant. Et quia Ordinem ſerunt, cœleſti oraculo inſtitutũ, Sanctæ Trinitatis nomen habere dicunt, & inſcripta hæc verba.

HIC EST ORDO APPROBATVS, NON AB HOMINIBVS FABRICATVS, SED A SOLO SVMMO DEO. Hic Ordo Prouincias 18. habuit perhibetur. Cœnobiaz 145. in quibus

habitabant fratres circiter 4000. Toti Ordini præſte fertur Generalis Miniſter, ſive Præſectus, qui in conuentu Generali creatur, cuius adminiſtratio dicitur eſſe, ſuiſeue perpetua ad vitam.

Ipo anno quo S. Dominicus Prædicatoriæ Familiæ parens in Hiſpaniam venit, Barcinonę noua piorum hominum inſtituta ſodalitas eſt, dicta à nomine Sanctiſſimæ Virginis MARIÆ de Mercede. Multi terra marique Chriſtiani homines capti a Mauris, & in ſeruitutem abducti ob vitæ aſperitatem à Chriſti fide, & Religione deſiciebant. Magnum porro id Chriſtiani nominis dedecus erat, cuius delendi cauſa hominum Societas inſtituta eſt, qui eleemoſynis vndique corrogatis, captiuos Chriſtianos è tanto malo ereptos redimerent. Iacobus Aragoniæ Rex præcipuus eius Ordinis auctor fuiſſe perhibetur, qui cum Montione captiuus inſtar teneretur, vſu didicit quantũ eſſet captiuitatis malum; & ideo Virgini Dei Matri Votum nuncupauit, quo promiſit ſe, ſi è captiuitate ſolueretur, curaturum, vt multi eorum, qui apud Mauros capti erant, redimerentur. Secundũ regem Petrus quidam Nolaſcus natione Gallus ducem ſecurũs ſe præbuit, optimis legibus, & inſtitutis naſcentem familiam cõperauit. Regia inſignia Crucis impoſita in rubro clypeo ad veſtem candidam, & cucullum toti familiæ, diſtinctionis gratia contributa ſunt. Ipſe coram Rege, & Proceribus de manu Reymundi Pennafortij, qui tunc Regi à conſeſſionibus erat: & deinde Ordinis Dominicani Generalis Magiſter fuit, ſolemni cæremonia veſtem albã, & cucullum cum S. Crucis ſigno ſuſcepſiſſe fertur anno Domini 1218. Sub Regula S. Auguſtini militant. Ordo dicitur habere octo Prouincias, vnã in Gallia, tres in Hiſpania, reliquas in India Occidentali, ſive in nouo terrarum orbe. Ordini toti præſt Generalis Miniſter, cuius olim perpetua erat adminiſtratio, nunc verò ad ſexennium eſt reducta.

Sedecim annis poſt Prædicatorum Ordinem auctoritate Pontifici comprobatum, Religioſi, qui Seruitæ dicuntur, Florentię cõepere, quo tempore Federicus II. Imperator Pontifici Gregorio IX. inſenſus, totam Eccleſiæ Romanæ dittonem vexabat: tunc enim ſeptem viri generis nobilitate clari, & copioſi, voce cœleſti diuinitus admoniti in propinquum montem ſeceſſerunt, vbi aliquandiu delituerunt. Sed ipſa eorum ſanctitas tanta luce ſeſe prodidit, vt multos ad ipſorum Societatem traxerit. Seruitarum nomen id eo acceperunt, quòd ſe B. Virginis Dei Matri ſeruos eſſe profiterentur. Regulam Sancti Auguſtini ſeruant, certis quibusdam legibus, & inſtitutis adiectis. Fertur Ordo confirmatus eſſe auctoritate Alexandri III. anno ſalutis humanæ 1254. Olim præerat toti Ordini Generalis Superior, cuius adminiſtratio perpetuò ad vitam durabat, nunc verò ad triennium tantum durat. Dicuntur eſſe huius Ordinis 26. Prouincię: conuentus virorum 300. Monialium cœnobiaz 30. In Conuentibus habitare viri Religioſi circiter 1000. perhibentur. Ex hoc Ordine aſſumpti ad Cardinalitiam dignitatem dicuntur quinque, ad Archiepiſcopalem tres, ad Epifcopalem viginti tres.

Crucigeri in Italia militant etiam sub Regula S. Augustini. Horum initium quidam ad Alexandrum Tertium, alij ad Innocentium Tertium referunt. Extant diplomata Pontificia, in quibus Cletus post Linum Petri successor, eorum Ordinem instituisse perhibetur. Aiuunt eum caelestis nuncio Crucis imaginem ferente admonitum, ut hospitalalem domum fundaret, qua exciperentur, qui Romam peregre religionis causa venirent, & essent ibi, qui peregrinos itineribus fessos pie reficerent, & iugestarent perpetuo Crucem Dominice passionis monumentum, & illum Oraculo paruisse, multi enim Christiani peregrini Romam voti soluendi causa veniebant. Vnde ab Angelo Cletus admonitus esse creditur, ut studiosè curaret, ne illis in Urbem venientibus commoda hospitia, & vitæ subsidia deessent. Et ideo pij quidam viri sese voto Dei obsequio addixerunt, promittentes se peregrinos domicilijs excepturos, & sustentaturos. Fortassis tunc non eam, quam nunc cernimus, Religionis formulam hic Ordo habuit, sed exemplo, vel imitatione Christianorum Cleti tempore in Vrbe viuentium & excipientium hospitio pauperes, qui Romam peregre veniebant, aliqui progressu temporis fuere diuinitus excitati ad peregrinos, & inopes excipiendos. Quidam aiunt horum Ordinem esse Alexandri Tertij tempore institutum. Is enim Federici Aenobarbi Imperatoris vim, & impetum hostilem fugiens, quorundam piorum hominum hospitalibus domibus crebro, & benignè etiam aduersus Imperatoris Edicta minacia exceptus fuerat, & ideo eorum hominum sodalitates sua auctoritate comprobauit, & Cruce insignitam esse voluit. Alij verò referunt Innocentium Tertium milites Cruce signatos contra Albigenes hæreticos misisse, qui deinde peregrinos excipiebant, & commodè sustentabant; Alij referunt Hierosolymitanum Antistitem Cyriacum, qui Helenæ Constantini matri locum ostendit, vbi Dominica Crux occultaretur, fuisse primum, qui ob tantæ rei memoriam Collegium instituit eorum, qui vel Crucis imagine signantur, vel Crucem manu deferunt. Pius Secundus anno salutis humanæ 1460. in Concilio Mantuano, cum expeditionem in Terram sanctam pararet, cœruleum eis vestitum assignauit, cum antea, aut indifferetio, aut cinericio vterentur: voluitque, ut Crucem ex veteri instituto manu gestarent. Olim vnus toti Ordini præerat, cuius administratio erat perpetua, nunc triennio durat. Extra Italiam, hic Ordo non est. In Italia habet Prouincias quinque, Bononiensem, Venetam, Romanam, Mediolanensem, & Neapolitanam. Olim habuisse Conuentus centum, & octo dicitur, nunc verò habere fertur 55. in quibus fratres numerari circiter ducenti vel plures perhibentur. Hospitalitatis curam habent.

Anno partus Virginis 1354. in Vrbe Senensi inchoatus est Ordo, qui IESVATORVM vocatur: eius fundator extitit Ioannes Columbinus Senensis, cuius mirabilis conuersio refertur ex lectione Vitæ S. Mariæ Aegyptiacæ, in quam casu incidit: Hic itaque totus repente mutatus sese bonis operibus, maximè autem sui contemptione, & propria voluntatis abnegatione aliquandiu

exercuit. Vnde bonæ vitæ eius exemplo permoti quidam, se ei adiunxere, ut eiusdem instituti socij essent. Quos omnes quia iam suspecti, & superstitione aliqua imbuti haberi incipiebant, Urbanus Quintus cum ex Gallia reuerteretur, quasi nouam, ac teneram Christi sobolem benigne cõplexus, multis priuilegijs exornauit; ab eo vestitum, & Ordinis approbationem adepti sunt anno salut. 1467. quorum institutum postea decem, & octo Romanorum Pontificum auctoritate cõfirmatum esse perhibetur. Militant quadam ex parte sub Augustini Regula: eam tamen obseruant, quam quidam ex eorum Ordine in Episcopum electus composuit, & Romani Pontifices approbarunt. Alba tunica vtuntur, & caputio quadrato à ceruice ad humeros deiecto. Canusinum pallium tunicæ superiectum deferunt, sacris non inuitantur, tantum precibus operam dant, aquas ex herbis eliciunt, eas vendunt, & pecunias in vltis necessarios conuertunt. Generalem Superiorem nõ habent, qui vnus toti Ordini præsit, sed duos tantum Visitatores, vnum in Lombardia, alterum verò in Tuscia. Huius Ordinis Domus dicuntur esse 33. in quibus numerantur Religiosi circiter 600. vt ab alijs accipi, & IESVATI dicuntur, quod in eorum ore frequè fit dulce, & sanctum IESV nomen.

Floret in Hispania Familia Eremitarum, qui nomine S. Hieronymi vocantur, eius fundator, & parens fuit Petrus Ferdinandus Hispanus, qui Regia aula relicta, primum Eremitis quibusdam solitariam vitam agentibus sese adiunxit, sed deinde institutum S. Hieronymi, quod in Vrbe Bethlehem ab ipso inchoatum, & diu cõseruatum, iam pridem cessauerat, vnà cù aliquot alijs eiusdem voluntatis, & cõsilijs socijs, in Toletana Prouincia excitauit: deinde Romam veniens Gregorius XII. qui tunc Ecclesiæ præsidebat, nouam illam vitæ rationem, & formulam obtulit: quam ille sua auctoritate comprobauit. Hic Ordo in Hispania tantum viget. Vnus Generalis Prior toti Ordini præest, qui tertio quoque anno creatur. Fertur habere in Castella, Aragonia, & Valentia Conuentus 47. in quibus habitare dicuntur Religiosi circiter 1100. Monialium quatuor Monasteria habet. Generalis Prior eligitur 3. Nonas Maij à Fratribus conuentus S. Bartholomæi sibi prope oppidulum dictum Lupiana, & confirmatur ab octo Diffinitoribus totius Ordinis auctoritate delectis. Certò quidem non constat Hieronymum vllam vitæ Eremiticæ Regulam cõscripsisse: ille tamen circa Bethlehem locum, & sedem sibi construxit, vbi vitæ extremum cursum Apostolico ritu, & instituto peregit. Hinc factum est, vt per multi ipsius Hieronymi imitatores extiterint, & ab ipsius nomine sint Hieronymiani Eremitæ appellati.

Frater quidam Petrus Olmedo Hispanus, Martini V. tempore fertur reuocasse ad meliorem Religiosæ vitæ formulam, Ordinem, qui in Italia nomine quoque sancti Hieronymi appellatur, quique in Italia dicitur habere monasteria viginti octo.

Anno salut. 1380. Vir quidam, cui Petro nomen erat, patria Pitanus, nobili genere natus, rebus mundanis despectis, solitariam vitam elegit, cui

postea alij eiusdem vitæ studio accensî sese adiunxerunt, & prout Vrbium domicilium extruxerunt. Ex his fluxit alius Ordo Eremitarum, qui in Italia à S. Hieronymo nomen habent. Primum isti solemnem votorum professionem minimè faciunt: Sed Pij Quinti auctoritate, solemnem se votorum Religione Deo obstringunt, sub S. Augustini Regula militantes. Dicitur habere duas Prouincias, Conuentus 64. in quibus habitant Fratres. 800.

Anno Domini 1406. Tres viri quidam Carolus cognomento Granellus, & Rodon Montigranelus, & Gualterus Florentini homines, Eremiticum institutum complexi, sedem sibi in Fesulanis montibus extruxerunt, quorum Ordinè Gregorius XII. & Eugenius Quartus, approbasse dicuntur. Quadraginta in Italia habere monasteria perhibetur.

Anno Domini 1308. Confirmatus est à Legato Apostolico Clementis V. Ordo nomine S. Pauli Eremitæ vocatus, floruit hic Ordo in Vngaria, & Boemia, institutus ab Eusebio Strigonicensi, in Pannonia.

Seruant etiam Regulam S. Augustini Religiosi Clericorum Ordines. Porro ex Apostolis originem suam traxisse censentur. Vetus enim institutum fuit, vt Clerici bonis, si aliqua haberent, paternis cederent, nihilque suum possiderent, & hanc esse causam, scribit Hieronymus, vt refertur cap. Duo, 12. *quest. 1.* cur ab ipso Ecclesiæ initio Clericorum capita radi ceperint, vt significaretur, ait ille, temporalium rerû abdicatio, quia victu, & vestitu contenti nihil proprium habere debent, sed omnia communia, & testatur Prosper, vt refertur cap. exped. 12. *quest. 1.* expedire facultates Ecclesiæ communiter possideri, & propriæ perfectionis studio, & amore contemni, & ideo quisquis omnibus, quæ habuit, dimissis, aut diuenditis, sit rei suæ contemptor, cum Præpositus factus fuerit Ecclesiæ, omnium, quæ ipse habet, efficitur dispensator. Refert deinde exemplum Paulini, & Hilarij, quorum vterque paternâ prædiâ diuendita in pauperum vsum erogauerunt; & ijdem Episcopi creati, facultates Ecclesiæ communes diligenter administrarunt. & Clemens in Epistola, quam scribit Hierosolymitano Clero, & habetur in cap. dilectissimi, 12. *quest. 1.* ait communem vitam omnibus necessariam esse, his maximè, qui Deo militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari. Gregorius, cum ad Augustinum Anglorum Episcopum responderet, ei mandat, vt in Anglicanâ illa, quæ tunc oriebatur, & surgebat Ecclesia, eam vitæ formulam inter Clericos instituat, quæ initio nascentis Ecclesiæ seruabatur à Patribus, in quibus nullus eorû de his, quæ possidebat, quicquam suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Extat inter sacros Canones Eugenij II. Decretum, 12. q. 1. c. *necessaria*, quo statuitur, vt vnû sit Clericis Refectorium, vnû commune Dormitorium, ac cæteræ officinæ. Item, cap. Scimus 12. *quest. 1.* ex Urbano refertur: *Quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, & vnus se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc quod Domino pollicitus est, diligenter custodiat, ne damnationem sibi, sed meritum acquirat: quia fatius est non vovere, quam votum, quod melius est, non perfoluere. Et*

capit. *Certe, eadem causa, & questione ex Augustino in quodam sermone De communi vita Clericorû, dicitur. Alias sibi constitutum fuisse nullum Clericum ordinare, nisi qui communem vitam ducere vellet: sed postea cõsiliu mutasse, ne quod peius esset, quispiam per simulationem, & hypocrisim, Regulam violaret, & datam, promissamque fidem falleret. Itaque etiam si quis viuere communiter recusaret, se ei deinceps Clericorum Ordinem permissurum. Laudat Ambrosius in Epist. 82. Eusebium Vercellensem Episcopû, qui suos Clericos ita instituit, vt ab his duo pariter exigeret, & monasterij continentiam, & disciplinam Ecclesiæ. Hæc, inquit, primus in occidentalibus partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memorie coniunxit, vt in ciuitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. Multum enim adiuuati ad Sacerdotis gratiam accedit, si ad studium abstinentiæ, & integritatis normam, inuenientè adstringat, & comorantes intra Urbem, ab vsu Urbis, & conuersatione abducatur. Narrat quoque Possidonius in vita S. Augustini hoc ab illo factum fuisse, vt monasterio intra Ecclesiam constituto, vna omnes mensa communibusque sumptibus alerentur, nihilque cuiquam suum esset. Qua ratione primum Apostoli, & Discipuli viuere consueuerunt. Ferunt Augustino vita functo, & Hippone à Wandalis vastato, Gelasium, quæ Africanû fuisse constat, cû aliquot alijs eius disciplinæ, & instituti locis, Romam venisse, & eo in Pontificem Romanum electo, illos deinceps in eodem vitæ genere perstitisse: ijque domicilium in Lateranensi sede attributum: quorum munus & officium fuit sacra facere, conciones ad populum habere, eidem sacramenta ministrare, ac cætera Sacerdotum munia obire: idque in communi vita, nulla re propria, & vnus Præpositi ductu, & obedientia. Ex quibus Canonorum Regularium Ordo manauit, ac fluxit. Constat à Bonifacio VIII. Regulares Canonicos à Lateranensi sede amotos esse, quam octingentis ferè annis tenuerant, substitutis Canonicis secularibus, diuisaque singulis certa redditu portione, qui antea communes erant. Quædam Pontificia Diplomata, testantur Canonorum Regularium Ordinem ab Apostolis institutum, hoc est, communiter viuentium Canonicorum vitam fuisse introductam more Apostolorum communiter viuentium: quamuis huiusmodi Canonorum Regularium S. Augustinus auctor esse dicatur, qui tamen reuera non tam institutor, quam restitutor, & instaurator extitit. Et postquàm Romæ in Lateranensi Sede Canonici Regulares esse coeperunt, in omnibus penè Occidentis Prouincijs viguit eorum institutum. Caroli Magni, & aliorum Imperatorum temporibus facta, & celebrata Concilia extant, in quibus multa de communi victu, vestitu, & vita Canonorum statuuntur. Cæterum de Canonorum Regularium initio, progressu, incremento, & Religione, Superiori libro tractaui.*

Præter Canonicos Regulares quidam alij Religiosi Clericorum Ordines excitati sunt, & sub eadem S. Augustini regula viuunt: nam anno salutis 1504. coepit is Ordo Clericorum, qui à nomine BONI IESV dicuntur. Primum eorum do-

militum fuit Rauennæ exædificatum: Auctores fuere Hieronymus, & Leo Sacerdotes.

Anno 1524. cœperunt hi Clerici Religiosi, qui Theatini dicuntur, eo quod eorum Ordo institutus est ab Episcopo Theatino, qui postea Cardinalis est factus, & deinde summum Pontificatum adeptus, dictus est Paulus Quartus.

Anno 1526. cœpit is Ordo Clericorum, qui à S. Paulo Decollato nomen habet. Eorum initium fuerunt tres viri, Mediolanenses generis nobilitate clarissimi, quorum primum domicilium, quia est Mediolani in æde S. Barnabæ extructum alicubi nomine eiusdem S. Barnabæ nuncupantur.

In Diœcesi Viennensi in Gallia est Ordo, qui nomine S. Antonij appellatur: institutus est, ad hospites pauperes excipiendos, & sustentandos. Habet domum Hospitalem in Vrbe Roma, Caslan. in *Catal. glorie mundi par. 4. considerat. 75.* ait, hunc Ordinem vsu, & consuetudine initium sumpsisse. Verisimilius est, ab aliquo institutum fuisse.

Innocentius Tertius anno Salutis 1200. extruxisse fertur in Vrbe hospitalem domum, quæ vocatur S. Spiritus in Saxia, & est itidem quædam Clericorum Cœgregatio, quorum est ægrotis inservire, quibus vitæ formulam, & Regulam dicitur idem Pontifex tradidisse, quam ij Clerici, qui vocantur Cœgregationis S. Spiritus in Saxia profitentur: fortassis Cœgregatio ipsa post Innocentium Tertium est instituta.

Inter Militares Ordines eadem Augustini Regulam Milites S. Ioannis Hierosolymitani, Templarij, & Theutonici B. Virginis, & Equites sancti Iacobi in Hispania profitentur: de quibus iam dixi.

Sub eadem S. Augustini Regula viuunt Milites Sancti Lazari: qui promittunt coniugalem Castitatem, curam infirmorum lepra laborantium: abstinent à carnibus 4. feria cuiusque Hebdomadæ, ieiunium seruant sexta quaque feria, vel Sabbato. Fundatus est hic Ordo in modum eorum fodalium, quos S. Basilius instituit ad infirmorum curam habendam. Dicitur habere priuilegia ab Alexandro III. Ordine ferè collapsum restituit, & priuilegijs confirmauit Pius III. anno Domini 1565. Et demum auctoritate Pij V. hic Ordo cōiunctus est cum ordine S. Maurij, cui præest Sabaudia Dux. Milites in pallio gestant Crucis viridis signum cum radijs quibusdam, qui significant Crucem S. Maurij.

Nonò quaeritur, Quid S. Benedicti Regula præscribat? Huius quaestionis dissolutio pendet ex ijs, quæ de Monachis disputata sunt.

Decimò quaeritur, An omnia quæ in dicta Benedicti Regula continentur, professorum eius teneant conscientias? Angelus in *verbo religiosus. nu. 28.* sentit Pœnitentia indigere declaratione. Sed verius Turcremata in *Expositione regulæ.* & B. Antoninus. *3. p. tit. 16. ca. 11. §. 5.* & alij tradiderunt, non omnia instar præcepti obligare. Nec obstat quod eius instituti professores, se secundum Regulam victuros, aut eam seruaturus, polliceantur: nam eius modi professio, promissio, siue pollicitatio intelligitur iuxta ipsiusmet Regulæ declarationem, interpretationem, & sententiam; quædam enim vt monita, & consilia, alia verò, vt præcepta seruanda proponit: Et qui regulam non seruauit, siue sic

siue illa præcepta, aut consilia negligant, & prætermittant, quamuis non peccent, pœnis nihilominus arbitrio Superioris imponendis plecti iure queunt, siquidem Regulam profitentes tacite pœnis sese talibus subiiciunt.

Vndecimò quaeritur, Quinam Religiosorum sub Regula S. Benedicti militant? Respondeo Monachos Occidentis ferè omnes sub ea Regula militare: tales sunt Ordines, quorum Praefecti, Abbates vocantur; hoc enim nomine eos vocari Benedictus voluit. Huius generis sunt Monachi, qui in iure Canonico Nigri vocantur; eo, quod nigro amictu vti soleant, Cassinates, & alij per Italiam, & Hispaniam multi: Monachi item albi, qui candido vestitu induuntur, cuiusmodi sunt Camaldulenses, Cisterciensesque, quamuis hi cuculla, & pallio nigro vtantur, & Oliuetenses: militant sub eadem Regula ij, qui dicuntur nomine S. Iustinae, quin & Cluniacenses, & Monachi Vallis umbrosæ, & ij item, qui Cœlestini vocantur à Cœlestino V. instituti, de quorum omnium origine supra tractaui; Inter Militares Ordines vero ij, qui in regno Castellæ à Calatraua, & Alcantara oppidis nomen habent, in Lusitania, qui dicuntur Milites Christi, & Auis, & in Valentino regno, qui vocantur Montesa; & in Italia Milites S. Stephani Florentini, S. Benedicti Regulam profitentur, de quorum omnium origine iam dixi.

Duodecimò quaeritur, Quidnâ S. Francisci Regula profiteatur? Hanc quaestionem diluimus supra, cum de Mendicantibus Ordinibus sermonem haberemus. Porro sub Regula S. Francisci militant multæ familiae, inter eas est ea, quæ vulgo dicitur Capuccinorum, cuius primus auctor fuit quidam Mattheus Franciscanus Picenus, qui paupertatis seuerioris, & arctioris studio, & amore eum Ordinem instituit, quem Clemens Septimus sua auctoritate anno salutis 1526. approbavit. Præest toti ordini vnus Generalis Superior, qui ad triennium durat. Habet Ordo Prouincias 27. Conuentus 662. Fratres verò circiter 6600.

Est alia familia, quæ dicitur Franciscanorum Obseruantium: cui præest vnus Generalis Superior, dicitur diuisa in Prouincias 81. in quibus sunt Conuentus bis mille, & tres; & Religiosi 31696.

Est alia tertia familia Franciscanorum, qui Conuentuales dicuntur. Præest quoque toti familiae vnus Generalis Superior. Porro ex Franciscanis familijs prodierunt summi Romani Pontifices quatuor. Nicolaus III. Alexander V. Sixtus III. Sixtus V. Cardinales 34. Patriarchæ quinque, Episcopi plurimi. Scriptores numerantur 293. sunt in Sanctorum numeris ascripti Martyres 12. Confessores 10. & Sancta Clara Virgo.

Decimotertio quaeritur, An sint alia Religio-num Regula, auctoritate Ecclesiæ approbata? Respondeo, cum Antonino in *3. p. tit. 16. cap. 1.* Carthusienles nullam ex prædictis Regulam profiteri, immò nec Regulam habere, quoniam suis Constitutionibus vtuntur pro Regula. Est etiam Societas IESV, quæ nullam aliam agnoscit Regulam nisi Constitutiones, ab IGNATIO eius parente, & institutore conditas, & Pontificia auctoritate approbatas. In literis tamè Apostolicis breuiter totius Societatis institutum, & quædâ quali

Regula professionis exprimitur, quod est certum ac breue Constitutum Compendium. Approbata est Societas Iesu primum à Paulo III. Anno Domini 1540. deinde à Iulio III. & alijs Pontificibus, qui successerunt. Minimi quoque sic appellati, seruauit Regulam à S. Francisco ex Paula oriundo præscriptam. Hic Ordo approbatus est, à Sixto III. anno Domini 1473. Nomen Minimorum datum est Ordini ab Alexandro 6. Habere dicitur hic Ordo Prouincias 16. Conuentus 144. Fratres circiter 3000. Præest toti Ordini, vnus Generalis Superior, qui triennio durat.

Decimoquarto quaeritur, Quid auctoritatis, & iuris habeat in Regulam Superiores Ordinum Regularium? Respondeo, nec Superiores, nec Ordines, quamuis simul coactos, vt supra dixi, posse Regulam ex toto, vel ex parte abrogare, mutare: ad id enim Põtificia auctoritas necessaria est, quippe, quæ Regulam ipsam confirmauit. Nihilominus Præfecti Ordinum ius habet iustus de causis aliquos sibi subiectos, ab aliqua Regulæ obseruantia eximendi, vel ad tempus, vel in certis quibusdam rerù euentibus; tunc enim Regula mutari aboleriue minimè censetur, sed hic Religiosus, aut ille, Regula, siue lege soluitur.

Decimoquinto quaeritur, An Regula consuetudine ex toto, vel ex parte abrogari, aut tolli queat? Quæstionem mouet, quod in leges tãtundem iuris consuetudo habere videatur, quantum auctoritas Põtificia: ergo si Regula eiusmodi auctoritate mutari potest, quidni, & consuetudine? Sunt qui censeant non posse, quoniam quatenus Regula est auctoritate Pontificia confirmata, voto Obedientiæ cõtinetur. Votum autè cõsuetudine tolli nullo modo potest. Et hinc fit, vt quoties Regula mutatio fit, ex toto, vel ex parte, auctoritas Pontificia exprisè, vel tacitè debeat intercedere: alioqui enim consuetudo, est corruptela.

Alij tamen probabilius putant posse: nam consuetudo potest leges humanas abrogare, & Regula ex magna parte Constitutiones continet, & leges: Ceterum, hac in parte distinguendum est. Nam Regula, aut accipitur, vt solum continet Constitutiones Ordinis abiq; tribus Religionis votis, aut accipitur, quatenus tria vota Religionis includit, vel alia vota Ordinis propria. Si primo modo sumatur, potest Consuetudine abrogari, sicut & ipsæ Constitutiones Ordinù. Si secundo modo accipiat, non potest. Quoniam tria Vota, quæ ad Religionis substantiam spectant, quæque in Regula quoq; continentur, consuetudine tolli nequeunt: & in hoc Regulæ Constitutiones, à votis secernuntur, & differunt. Et hoc modo conciliantur auctores.

Nam primi volunt Regulam, quatenus tria vota continet, quæ Religionis substantiam constituent, aut proprium Ordinis habitum præscribunt, consuetudine tolli non posse, nam contra vota vllam vim consuetudo non habet: quatenus verò Regula alias res præscribit, quæ sunt tribus votis adiuncta, consuetudine tolli potest, cum ea ad Religionis substantiam non pertineant, & res quæque integra manere possit sublati ijs, quæ ad ipsam accedunt, vel ipsi accidunt. Alij verò solum probant, Regulam, vt Constitutiones præcisè continent, posse Consuetudine abrogari.

Decimosexto quaeritur, An si vsu sit laxata Regula, eius professores tuta conscientia Regulam laxatam, & ferè collapsam obseruent? Respondeo, cum Cardinali, & Panormitano in ca. super eo, de regularib. nu. 6. ab eis obseruari, quoniam talem Regulam sunt professi: nam cum professionem emisissent, vouerunt se Regulam seruaturus, prout vsu, & more seruari solet. Qui item Religionè laxiorem proficetur, nullam aliam arctiorem seruare compellitur: ergo qui Regulam vsu, & more redditam laxiore proficetur, ratione professionis non cogitur arctius Regulæ institutum seruare.

Decimoseptimo quaeritur, Quid sit dicendum, si Titius Religionis institutum suscepit, quando Regula consuetudine iam laxata fuerat: postea verò arctior instituti ratio, & Regula restituta est: An Titius tuto possit seruare Regulam laxiorem, quæ vsu, & more antea seruabatur, cum est Religionem professus; an verò eam vitæ Regulam, quæ olim viguit, & nunc est restituta, seruare cogatur? Hanc quæstionem tractauerunt Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andr. & Abbas in ca. super eo, de regularib. Et Innocentius quidem, & Hostiensis potius respondere videntur de eo, quod est in iudicio definiendum, quam de eo, quod secundum conscientiam agendum est. Aut enim, inquit, Titius est vir literarum peritus, qui hoc ipso, probabiliter creditur nosse veterem Regulam arctiorem fuisse: & verisimiliter creditur præuidisse, veterem viuendi rationem posse restitui; ac promde iure cogitur eadem seruare, quoniam eam vouisse probabiliter censetur: Aut Titius est rudis, & ignarus, & non est cogendus veterem instituti Regulam seruare, cum solum sit laxiorem professus, nec creditur arctiorem animo præuidisse: quamuis Innocentius probabiliter existimet absolute, & simpliciter Titium cogi arctiorem vitæ formulam antiquam seruare: quoniam causa Dei, inquit, Religionem suscepit, ergo simpliciter sese Deo obligauit, ita vt ipsius Regulæ institutum absolute, & simpliciter seruare merito cõpellatur. Sed verius est, quod tradit Abbas: Aut Titius, inquit, cum professionem emisit, solum promisit seruaturus se Regulam laxiorem, & tuto eam seruare potest, nec arctiorem tenere iure cogitur: Aut simpliciter promisit se Religionis institutum seruaturus, & tunc arctiorem Regulam restitutam seruare, iure compellitur.

Decimo octauo quaeritur, An maior Collegij pars possit veterem Regulam arctiorem restituere, & intermissam reuocare, ita vt minor pars velit nolit, eam seruare cogenda sit? Innocentius, Hostiensis, & Abbas respondent, minorè partem iure adigi ad Regulam pristina, & antiquæ obseruantiam. Nam quando res aliqua Collegarum suffragijs decernitur, ad sententiam maioris partis debet minor pars accedere: id enim Collegium eligere censetur, quod maioris partis suffragijs electum, vt dicitur in ca. 1. de his, quæ sunt à mai. par. cap.

Decimonono quaeritur, An Romanus Pontifex iure cogat Religiosos arctiorem vitæ Regulam seruare, quàm prima, & antiqua sui instituti norma, & ratio postulat? Innocentius, Hostiensis in cap. super eo, de regularibus. Abbas in cap. ad nostram numer. 4. de Appellat. Glossa in cap. quod omnes tangit. de regul. iuris, in sexto, & cap. gesta, dist. 74. & ruitus

Innoc. in c.
super eo. de
regula.

Abb. in c.
super eo. ci-
tato.

Abbas in cap. super eo. num. 6. de regularib. absolute, & simpliciter videntur docere id posse Pontificem, immo, & Abbatem, siue totius Ordinis Praefectum. Id inde probant, quia Religiosus suam voluntatem in Romanum Pontificem, & Abbatem transfudit, ac proinde eorum voluntati resistere, & reluctari non potest. Deinde Romanus Pontifex, ut patet ex cap. 1. de Regularib. in sexto. vniuersim Monialibus praecipit uti clausuram seruent, & tamen multae eam professa non fuerat. Ceterum alijs probabilius videtur id non posse Pontificem, ac multo minus Abbatem, quando ita arctior regula daretur, ut prima, & antiqua in aliam transferret: posse tamen Romanum Pontificem praecipere, ut arctior regula seruaretur, quando prima, & antiqua renouaretur, & reduceretur ad pristinae formulam, eo quod esset paulatim laxata. Et hoc est, quod Innocentius, Hostiensis, & alij docere voluerunt. Quamuis reuera absolute & simpliciter dicant, posse iure Romanum Pontificem austeriorem, & arctiorem vitam Monachis indicare. At Ioannes Andreas in cap. Ioannes, de regularibus ait, id durum videri: quia Religiosus non plura vouet, quam prima, & antiqua suae Religionis Regula praescribat. Deinde, Romanus Pontifex nequit eum, qui est vniam Religionem professus compellere ad seruandum alterius Religionis arctius institutum: alioqui enim posset etiam praecipere, ut quis votum Religionis emittat, quod videtur absurdum.

Ea vero, quae sunt obiecta facile diluuntur. Nam quod primo loco dicebatur, Religiosum ratione voti, quod emisit, in Abbatem, & Romanum Pontificem suam voluntatem transferre; verum est, non tamen ita, ut bona vota suscipere cogatur, vouere enim cuique est liberum, sed ut ratione voti emissi possit sibi ab Abbate, aut Pontifice imperari, quaequid sibi, vel communi aliorum salutis conducit. De clausura vero Monialium indicta; dicimus eam Monialibus indici, quia conducit plurimum ad tria solemnia vota Religionis seruanda; ne Moniales scilicet liberè vagentur, sibi, & alijs peccandi periculum creent, praesertim cum etiam foeminae, quae tria vota Religionis simplicia, non tamen solemnia emiserunt, clausuram seruare minimè cogantur.

Vigesimo quaeritur, An si Regula Religionis prohibeat, ne possessiones, aut redditus annuos Religiosi possideant, possit consuetudine induci, ut ea bona in comune habeant? Respondeo, cum S. Antonino 3. p. tit. 16. cap. 1. §. 12. vbi citat, & sequitur Ioan. Andream, Lapum, & alios, nisi ea consuetudo Romani Pontificis auctoritate confirmetur, id fieri nequire. Ratio huius rei est, quia nonnihil eiusmodi consuetudo remittit votum paupertatis: est enim Religionis substantiae annexa proprietatis abdicatio: ergo si proprietatis in comune retinetur, paupertas ex parte minuitur, si Regula proprietatem, tum communiter, tum priuatum prohibeat.

Vigesimo primo quaeritur, An ea consuetudo probanda sit, qua Religiosi habitant in Cellis, sibi à Superiore assignatis; cum tamen Regula praecipiat, ut omnibus sint Cellae communes? Respondeo, si reuera eiusmodi consuetudo proprietatem inducat, esse corruptelam, quoniam votum

paupertatis aliquatenus infringit, si verò minimè, corruptela non est. Tunc autem inducit proprietatem, quando Religiosus habitat in Cella Superioris nutu minimè reuocabili. Quando verò Religiosus Cella vitur nutu, & voluntate Superioris, tunc proprietatem, aut dominium Cellae non habet. Idem iuris est de libris, & de ceteris quibuslibet rebus Religioso ad usum assignatis. Si enim illis ita veatur, ut ad nutum Superioris reuocari queant, proprietatis penes illum non est; si autem non sint eiusmodi, utpotè, quae ipsi Superiori omnino celebantur: tunc talis Religiosus sibi earum rerum proprietatem vindicare coequetur.

Caput XII.

De continentia, & celibatu Sacerdotum, & aliorum ministrorum Ecclesiae.

PRIMO quaeritur, An Sacerdotum coelibatus sit iuris Diuini, an Canonici? Dux sunt Catholicorum de hac controuersia sententiae; vna affirmat iuris esse Diuini; & proinde à Romano Pontifice potestatem Sacerdotibus fieri non posse, ut matrimonia contrahant. Ita Maior. in 4. dist. 24. q. 2. & d. 37. q. 1. immo quidam aiunt, Parisijs conuenisse Theologos ad hanc controuersiam dirimendam, sensisseque talem potestatem dari Sacerdotibus non posse. Sic etiam Chlidonaeus lib. de continentia Sacerdot. cap. 13. Torren. lib. 2. de dogmat. obseru. & alij quidam magni viri, qui contra nostri seculi haereticos decertarunt, idem ante hos omnes videtur sensisse Waldensis tom. 2. de Sacrament. cap. 128. & 129. Eorum argumentum est, quod ab Apostolorum temporibus tam Graecorum, quam Latinorum Ecclesia semper haecenus seruauit, ut Sacerdotes à nuptijs contrahendis penitus arcerentur, quamuis in Graecia, & reliquo toto Oriente viri coniugij vinculo ascripti ad Sacerdotium eligantur. At iuris Diuini videtur esse, quod tam diu est in Ecclesia seruatum. Si enim ius tantum Canonici esset, aliquando fuisset Ecclesiae auctoritate permissum, ut aliquis Sacerdos uxorem duceret, cum in tanta temporis diuturnitate verisimile non sit, iustam aliquam causam minimè accidisse eiusmodi facultatis concedendae. Accedit, quod longè altior sit, sublimior, & periclitior Sacerdotum status, & conditio, quam coniugum, cum illi sint diuersis ministerijs additi, hi verò rei vxoriae, & familiari tantum dediti, & destinati: at descensus è tam sublimi vitae statu ad inferiorem, videtur diuino iure prohibitus. Et idcirco Luc. 9. dixit Christus: Nemo militans manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei: at Sacerdos retro respicit, qui uxorem ducit. Item, Nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus; &, qui sine vxore est, cogitat, quae sunt Dei. Accedit, quod i. Reg. 21. dicitur, nefas laicis fuisse, & ijs, qui non se à mulieribus continerant, panes propositionis edere; ergo multo minus caelestem diuinumque panem licet edere Sacerdotibus instar laicorum ad nuptias transeuntibus. Quid quod Leuiticis Sacerdotibus licitum non erat ministerij sui tempore ad suas uxores accedere: at Euangelici Sacerdotes quotidie in altari ministrant, & facris operantur: ergo perpetuò debent à nuptijs abstinere.

Nec

Nec obstat, si quis obijciat, ex sacris literis hoc ius diuinum colligi non posse: nam pleraque alia iuris diuini esse arbitramur, licet ea non euidenter inde colligantur: sufficit enim si traditione quasi per manus à Maioribus accepta, habeantur: cuius generis plurima passim occurrunt, quæ ad Sacramentorum materias, formas, & ministros pertinent.

Altera opinio docet, Sacerdotum continentiam iuris tantum esse Canonici: quæ sententia recepta est, communi Theologorum, tum veterum, tum iuniorum, & iuris Canonici interpretum consensu, quam habet S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 7. Caiet. *ibid.* Sot. 4. d. 38. q. 1. art. 1. Syluest. *Matrimonium*. 8. qu. 12. Michael Medin. *lib. 2. de continen. sacror. hominum. cap. 1. sequentiibus*: & idem Sot. *lib. 7. de iust. q. 6. art. 2. in conclusio. 2.* Quorum illud vnicum est argumentum: Coniugium cum Sacerdotio non pugnat, alioqui enim pugnet cum matrimonio ante, vel post contractum; at tota Orientis Ecclesia ab antiquis temporibus viros matrimonio iunctos ad Sacerdotium assumit. Sotus, & quidam alij recentiores hoc argumento conuicti sentiunt primam illam quorundam Catholicorum sententiam vix sibi coherere. Cur, inquit, si vir coniugio alligatus, Sacerdos creetur, coniugium iure subsistit, & e contra, si Sacerdos ducat uxorem, matrimonium est irritum ipso iure diuino? Sed ego certè non possum non mirari Sotum, & alios, eo quod primam sententiam non penitus sint affecti. Non enim illius opinionis auctores contèdunt Sacerdotium, ita cum Matrimonio iure diuino pugnat, vt nuptiæ post Sacerdotium contractæ sint irritæ, & inanes, non solum iure Canonico, sed etiam diuino: Sed solum opinantur post Sacerdotium nuptias contrahere, esse peccatum; & id quidem iure diuino damnatum. Sicut inquit Maior post simplex votum Castitatis emissum, matrimonium iure peccatum est: ratum tamè, & firmum est coniugium. Deinde, qui post fidem datam vni puellæ, alterâ duceret, peccaret ille quidè, quippè qui fidem violaret, ac frangeret, at coniugium ipsum, vt firmum subsisteret. Sic etiam ait Maior peccat Sacerdos, ac ius diuinum perfringit, si matrimonium contrahat: nihilominus tamen coniugium iure diuino consistit, ac valet; quamuis iure Canonico sit irritum. Non enim idem est, præcipere, ne aliquid fiat, quod, factum rescindere. Multa enim fieri verantur; quæ tamen alioqui facta vim, & locum habent. Ac sicut is, qui Castimoniam vouit, si in matrimonio copuletur, delinquit, quoniam ius naturale, & diuinum negligit: sic, qui post Sacerdotium nuptias contrahit, culpatur, quia ius diuinum peruertit. Atque ita concludit ille auctor: Sicut Romani Pontificis auctoritate dari facultas non potest, vt qui Deo Castitatem promiserit, in matrimonium sine iusta, & debita causa foemina ducat, quia ius naturale Pontifex relaxare, remittere, aut aliqùe lege naturali soluere nequit: sic facultatem tribuere non potest Sacerdoti, vt matrimonium contrahat sine iusta, & legitima causa: & sicut iuris rigorem relaxare potest, vt Religiosus uxorem ducat ob maximam aliquam, & communem causam, sic etiam ob communem Reipublicæ salutem concedere potest, vt Sacerdos nuptias contrahat.

Quamquam autem Maioris, & aliorum opinio defendi probabiliter queat: verior tamen videtur esse altera sententia, & magis cum iure Canonico consentiens. Nam in Tridentino Concilio *Sess. 24. can. 9.* dicitur, *Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonium contrahere non posse, & legem appellat Synodus Ecclesiasticam, vel votum.* Obijcies, Concilium ibi legem Ecclesiasticam appellasse, quia dixerat non solum illis matrimonio esse interdictum; sed initum etiam matrimonium nullius esse momenti. Prima verò opinio fatetur quidem iure tantum Canonico nullas esse nuptias post Sacerdotium contractas, sed iure diuino præcipi, ne illæ contrahantur. Ceterum verba Concilij videntur ad vtrumque protendi, & referri. Deinde, obijcies Concilium Tridentinum Sacerdotum cœlibatum, votum appellare; at quod ratione voti persoluitur, iure naturali, & diuino debetur. Respondeo nunc non disputari à nobis vtrum cœlibatus sit Sacerdotio annexus, voto, an lege Ecclesiastica, sed solum an iure diuino, an Ecclesiastico Sacerdotes continentiam oporteat profiteri. Nam fatemur quidem, Sacerdotes debere continentiam voto promissam seruare: de qua re statim dicemus: & votum iure diuino, & naturali esse præstandum; sed hoc vnum contendimus, continentiam votum non esse cum Sacerdotio iure diuino, aut naturali coniunctum, sed Ecclesiam sua auctoritate constituisse, vt Sacerdotes continentiam voueant; ac proinde posse etiam statuere, ne tale votum deinceps Sacerdotes emittant.

Secundò queritur, An cœlibatus sit etiam alijs duobus sacris Ordinibus iure Ecclesiastico annexus? Quod est querere, an Diaconi quoque, & Subdiaconi Ecclesiastica lege cœlibes esse cogantur? Maior, alijsq; concedunt, eos quoque iure diuino continentiam seruare debere, hoc est, illis esse interdictum, post susceptos Ordines nuptias contrahere: quamuis post nuptias possint ad sacros Ordines promoueri. At verò communis est omnium sententia lege tantum Ecclesiastica Diaconos, & Subdiaconos à nuptijs contrahendis arceri, & prohiberi.

Vnum posset obijci, quod est in Concilio An. cyrano *cap. 10.* & refertur *cap. Diaconi, distinctio. 28.* vbi dicitur, *Diaconi, quicumque cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes velle se habere uxores, nec continere se posse; hi postea si ad nuptias peruenierint, manent in ministerio; propterea quod his Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, à ministerio cessare debent.* Hæc ibi. Qua per moti auctoritate nonnulli senserunt, non esse iure diuino Diaconis, & proinde Subdiaconis præceptum, ne post susceptos sacros Ordines nuptias contrahant; siquidem permittit Synodus eos aliquando uxores ducere. Mihi tamen, vt statim ostendam, non videtur ex eo Concilio satis firmè concludi, cœlibatum Diaconorum, & Subdiaconorum esse tantum iuris Canonici, nec id asserere cogit nos prædictum Concilij decretum, quoniam de more, & ritu Græcorum, loquitur Concilium, videlicet de vxoribus ante Diaconatum ductis: & idcirco ait, *si cum ordinantur, dixerint velle se uxores habere, id est, velle se matrimonio ante con-*

tracto vti. Et deinde cum dicitur: *Hi postea si ad nuptias venerint, vel se contulerint*; hoc est, si ad uxores, quas in matrimonium ante duxerant, accesserint, atque eis commisceantur: Si ad nuptias videlicet ante contractas venerint: hoc est, si nuptijs ante contractis vti voluerint: sic hunc canonem explicat Maior loco citato: vel intelligitur, si ad nuptias venerint, hoc est, si nuptias contraxerint factis, non iure: vt exponunt Archidiacono, Turrecremata, & Geminian. in eo capite: vel certè is canon abrogatus est per canonem 6. Concilij 6. generalis, vt ait Balsamon. Quare vera est communis Theologorum, & Canonici iuris interpretum opinio, nulli post Diaconatū, aut Subdiaconatum licere matrimonium contrahere, id non quidem iure diuino, sed canonico prohibente.

Tertio queritur, An in vtraque Ecclesia, Græcorum scilicet, & Latinorum semper fuerit more, & vsu receptum, vt post sacros Ordines receptos Presbyteri à nuptijs contrahendis arceantur? Caietanus in opusculis, tom. 2. tract. 27. sot. 4. dist. 38. quest. 1. art. 1. & lib. 7. de iust. qu. 6. artic. 2. in conclus. 2. & quidam alij censent, id quidem in Latina Ecclesia semper esse seruatum, non tamen in Græca. Et Erasmus scripsit hodiernis temporibus Sacerdotes, & Episcopos post susceptos Ordines uxores ducere: quam sententiam cum temerariam esse dixisset Parisiensis Academia; respondit Erasmus, se, cum Venetijs commoraretur, id à Græcis accepisse, qui ibi debebant. Id colligunt illi ex cap. Aliter, dist. 31. vbi dicitur: *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius sanctæ Romanæ Ecclesie. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi matrimonio copulantur, istius autem Ecclesie, vel Occidentaliū, nullus Sacerdotum à Subdiacono vsque ad Episcopum licentiam habet coniugium sortuendi.* Hæc ibi. At certè falluntur, vt rectè Glossa annotauit. Nam in cap. Si quis eorum, d. 32. ex sexta Synodo generali per spiritum sanctum dicitur: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedant, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinationem Subdiaconatus faciat.* De Latina verò Ecclesia hoc certum est ex cap. Sunt quidam, 27. quest. 1. vbi Innocentius Primus constituit: *Præcipimus, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui sacrum transgredientes propositum uxores sibi copulare præsumserint, separentur.* Eadem distinct. cap. Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis, Presbyteris concubinas habere seu matrimonia contrahere, penitus interdicitur: contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis distingi, & personas ad penitentiam redigi debere, iuxta sacrorum Canonum definitionem indicamus. In cap. Decernimus, distinct. 28. ex Innocentio Secundo dicitur: *Decernimus, vt ij, qui in Ordine, & supra uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio Ecclesiastico careant.* Item cap. Lectores, dist. 32. ex Concilio Carthagensi 4. dicitur: *Lectores, cum ad annos pubertatis veniunt, cogantur, aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.*

Ad illud vero, quod obijciebatur ex cap. Aliter, dist. 31. respondeo cum Glossa communi consensu recepta, illud matrimonio copulantur, idem esse, ac si diceretur, nuptijs ante contractis vtuntur. Nec est, quod Caietanus hanc Glossam, vt ridiculam rejiciat: ius enim Canonicum non raro hoc, quod est matrimonio copulari, sumit pro eo, quod est coniugali copula vti: ea enim carnis commixtio, appellatur matrimonij coniunctio. Vnde in c.

Quoniam, eadem distinctione, dicitur: *Non suis copulentur vxoribus: nec ab simili loquendi modo vtitur ius in cap. Nolle, in prædicta distinct. & in cap. Agabosa, & c. Prinsquam, 27. q. 2.*

Quarto queritur, An etiam Diaconis, & Subdiaconis fuerit præceptum, ne post sacrum Ordinem susceptum nuptias contrahant. Quidam a iunt, olim licuisse illis iure Canonico ad nuptias transire post Ordinem sacrum susceptum, eo argumento permoti, quod in ca. Diaconi, 28. dist. ex Concilio Anagnino, habetur: *Diaconi, qui cum ordinantur, protestati sunt, dicentes se velle habere uxores, nec posse se continere: si postea ad nuptias peruenerint, in suo ministerio manebant.* Sic opinantur Caieta. in opusculis, tom. 1. tract. 27. sot. in 4. dist. 38. quest. 1. art. 1. Ceterum quidam alij opinantur; id nunquam illis licuisse facere. Et id quod citatur ex cap. Diaconi: sic intelligitur, vt supra iam dixi: si protestati fuerint se velle uxores habere, hoc est, velle se vti vxoribus ante Ordinem ductis. Id verò, si postea ad nuptias venerint; significat, si vtantur nuptijs ante contractis, permaneant in ministerio.

Alij, videlicet Archidiacono, Geminian. Turrecremata, cap. Diacon, dist. 28. exponunt id, quod dicitur in eo capite, si postea ad nuptias venerint, hoc est, si postea matrimonium contraxerint factis ipso, non iure, tunc separentur ab vxoribus, quas duxerunt factis, non iure, eo quod matrimonium non valeat, & separati ab vxoribus in ministerio permaneat, hoc est, non deiciantur à Clero. Balsamon in Comment. super Concilium Anagninum ait: *Hunc Concilij Canonem esse abrogatum in Concilio 6. Generali can. 6. Trullano, vbi definitur, Subdiaconis, & Diaconis nullo modo licere ad nuptias transire, quod si transierim, esse ab vxoribus separendos.* Nunquam licuit Clericis post sacros Ordines nuptias contrahere.

Quinto queritur, An apud Græcos coniugium contractum post receptum aliquem Ordinem sacrum, videlicet post Sacerdotium, vel Diaconatum, vel Subdiaconatum sit irritum, & inane iure Ecclesiastico, sicut est apud Latinos. Respondeo cum Paludano 4. dist. 37. quest. 1. art. 1. conclus. 4. Sylu. Matrimonium, 8. quest. 12. v. e. j. c. Sextum, esse irritum. Id probat Syluest. ex cap. Si quis eorum, dist. 32. cap. Nicæna, dist. 31. cap. Cum in præterito, dist. 82. alij probant ex can. 27. Apostolorum. Sed certè hi Canones solum prohibent, ne Clerici post sacros Ordines nuptias contrahant; at expressè non statuunt matrimonium contractum à Clerico post sacrum Ordinem irritum esse, & inane: quidquid sit, prædictos Canones, vsus, & mos etiam apud Græcos seruatus interpretatur. Sic, Clericos post sacros Ordines à contrahendis nuptijs prohiberi, quod si contraxerint, esse eos ab vxoribus, quas duxerint, penitus separendos; matrimonium igitur post sacros Ordines in initum etiam apud Græcos non valet, Ecclesiastica constitutione: vt ait Glossa, in c. Si se cuiquam, ad finem, dist. 28. & Rosell. verbo, Impedimentum, 11. vbi citat Direct. & Glossa in cap. Diaconi, d. 28. & colligi videtur ex can. 6. Concilij 6. generalis.

Sexto queritur, An qui sunt sacris Ordinibus initiati, continentiam seruare debeant ratione voti, an verò ratione Ecclesiasticæ legis dumtaxat? Quidam opinantur eos solum esse lege Ecclesiastica adstrictos, non voto. Id ex eo colligunt, quòd si quis sacros Ordines suscipiat, vel per vim,

vel per

vel per metum mortis adactus, vel per ignorantiam adductus, nullo voto continentiae se abstringit; & tamen Ecclesia cogit eum, vel continentiam seruare, vel se ab altaris ministerio continere. Si quis rursus ab infantia sacris Ordinibus initiatuſ eſſet, quamuis id male fieret, Ordinis tamen caractere inſignitus fuiſſet: ſed nullo Voti vinculo teneretur, quamuis Eccleſia, vel eum perpetuo ab altaris ministerio arceret, vel Caſtitaſtem profiteri compelleret. Deinde, ſi continentiae votum non eſt iure diuino ſacris Ordinibus annexum; poſſet quidem Eccleſia legem ſtatueret, vt Clerici poſt eos Ordines ſuſceptos continentiam ſeruent, non tamen eos voti nexu, & vinculo alligare. Votum enim Deo ſponte facimus, non legis neceſſitate coacti.

Mihi tamen magis placet eorum opinio, qui diſtingunt cum Gloſſa in cap. Cum olim, de Cleric. coniug. in ſacrorum Ordinum ſuſceptione aliquando fieri explicite Votum, aliquando tacite, aliquando vero nullum votum interuenire: proſecto iura Canonica votum appellat in cap. 1. De voto, & voti redempti. in 6. & in cap. Cum olim, De cleric. coniugat. & cap. Quamquam, diſt. 23. & alibi ius praecipit, vt qui ad ſacros Ordines prouehuntur, polliceantur ſe continentiam ſeruaturos, cap. Nullum, diſt. 28. ex Gregorio dicitur: *Nullum facere ſubdiaconum praſumant Episcopis, niſi qui ſe caſte victurum promiſerit.* Et id circo in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. can. 9. ſtatuitur, vt Clerici, a ſuſceptis Ordinibus Caſtitaſtem ſeruent, vel lege Eccleſiaſtica, vel voto. Vbi ponderanda eſt illa diſtinctio qua uſa eſt Synodus. Nam qui ſcienter, & ſponte ſacros Ordines ſuſcipiunt, votum Caſtitaſtis emittunt expreſſim vel tacite: qui vero per vim, vel metum cadentem in virum conſtantem his Ordinibus conſecrantur, nullo voti vinculo obſtringuntur, ſed Eccleſiaſtica lege, vel Caſtitaſte profiteri coguntur, vel perpetuo ab altaris ministerio prohibentur, vt inferius explicabo. Ad argumenta oppoſita inferius reſpondebo.

Ex his colligitur alterius ſolutio quaſtionis, An qui ſcienter, & ſponte eſt ad ſacros Ordines electus, egeat Romani Pontificis auctoritate non ſolum ex iuſta, & debita cauſa relaxante legem Eccleſiaſtica, ſed etiam remittente votum continentiae, vt tuta conſcientia nuptias contrahere queat. Nam aut Ordines ſacros ſcienter, & ſponte ſuſcepit, & hic eget Pontificia voti relaxatione. Et quia nemo voto ſoluitur, niſi grauiffimis de cauſis; hinc efficitur, vt relaxationem voti iure obtinere nequeat, niſi legitima ex cauſa. Qui vero per vim, vel metum mortis, qui dicitur cadere in conſtantem virum, ad ſacros Ordines prouehitur, non eget Pontificia legis, aut voti relaxatione, vt poſtea dicam.

Soluitur illa etiam quaſtio, num is, qui ſponte eſt in ſacris Ordinibus conſtitutus, cum ſoemina omni vinculo ſoluta rem habens ſacrilegi congreſſus crimen incurrat; an vero ſimplicis tantum luxuria, quae fornicatio dicitur? Quidam iuris ciuilibus interpretes ceſſent reum tantum eſſe ſimplicis fornicationis, non ſacrilegi congreſſus: putant enim eum non eſſe violatorem voti, ſed Eccleſiaſticae legis; & proinde aiunt, ſi ſtatuto, vel lege poenae ſacrilegis irrogentur, eis non affici Preſ-

byterum, cum ſoluta ſoemina turpiter peccantem. Quid ſi is cum ſoemina coniugij vinculo aſtricta rem habuerit, tantum adulter eſt, non ſacrilegus. Nam preſbyter, inquit, cum ſoemina rem habens committere dicitur, aliquando adulterium cum nuptis, aliquando inceſtum cum affine, vel conſanguinea; aliquando ſimplicem fornicationem, cum ſoluta, aliquando ſtuprum, cum virgine.

Ceterum communi eſt omnium ſententia receptum, eiufmodi Preſbyterum ſacrilegij ſcelere teneri: quonia (vt diximus) in ſacrorum Ordinum ſuſceptione expreſſe, vel tacite continentiae votum emittitur, & qui votum perfringit, ſacrilegij crimine ſeſe commaculat. Nec obſtat, quod ſepe Canones, & iura Preſbyterum cum ſoluta ſoemina peccantem, ſimplicis tantum fornicationis appellent reum: nam ſolum ſignificare volunt eum adulterij, ſtupri, inceſtusque crimine non teneri. Non negant tamen reum eſſe ſacrilegij. Hanc quaſtionem tractauit Iulius Clarius lib. 5. reſcriptar. ſentent. ſ. Fornicatio, num. 16. verſic. Cum preſbytero. **SI QVAERAS**, quis dicitur facere votum tacite, & implicite continentiae, cum ſacros Ordines ſuſcipit. Reſpondeo ex communi omnium ſententia in cap. 1. de voto, in 6. & in cap. Cum olim, de Cleric. coniug. & cap. Quamquam, diſt. 23. eum, qui in Latina Eccleſia ſponte ſacris Ordinibus initiatuſ, etiam ſi nihil meminerit voti: ſufficit, ſi ſua ſponte ad ſacros Ordines promouetur: nam eo ipſo, votum continentiae facere cenſetur.

Septimo quaeritur, An ſi Diuini iuris, aut ſaltem Apoſtolicum, ne ad ſacros Ordines eligantur, niſi iſ, qui nullo fuerint antea matrimonio copulati? Ratio dubitandi eſt ex verbis Clementis, quae habentur in Epistol. 2. vbi dicitur ad Dominica ministeria tales eligantur, qui ante Ordinationem ſuam, vxores non nouerint. Reſpondeo, nec id eſſe iuris Diuini, nec Apoſtolicum. Paulus enim 1. ad Timotheum 3. & ad Titum 1. ſcribit, oportere Episcopum eſſe vnus vxoris virum; & idem de Diacono teſtatur: ergo ſecundum Apoſtolum fas eſt virum coniugem ad ſacros Ordines promoueri. Hieronymus quoque epistol. 50. ad ſu. Apoſtoli, inquit, vel Virgines, vel poſt nuptias continentes fuerint Episcopi, Preſbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe poſt Sacerdotium in aeternum pudici. Leo quoque Primus ſcribit epistol. 84. & epistol. 87. Vbi promouendi ſunt aliqui ſi habent vxores, ſint tanquam non habentes: & ſi non habeant, permaneant ſingulares. Epiphanius in compendio lib. 3. Coniuges, inquit, filios procreantes, Dei Eccleſia ad ſacros Ordines non recipit, ſed eum, qui ſe ab vna continuit, aut in viduitate vixit. Beda in libr. 3. De Tabernaculo. Non pugnat eſſe Sacerdotem, & maritum; ſed pugnat inter quodammodo vxoris amplexum verſari, & celeſtia myſteria tractare. Denique in Euangelio legimus, locrum Petri, ergo in Apoſtolum electus eſt Petrus coniugij nexu, & vinculo aſtrictus. Et Eccleſiaſticae hitoriae tradiderunt Philippum, vel Apoſtolum, vt placet Eufeb. lib. 3. hiſt. Eccleſ. ca. 24. vel Diaconum potius, vt a iſis, filias habuiſſe, quas Lucas quatuor fuiſſe commemorat: & Graecorum Eccleſia a priſcis temporibus morem obſeruat, quo ad ſacros Ordines coniuges viros admittit: nec id in Graecis Sacerdotibus, Latinorum Eccleſia dant, aut improbat: quamuis nullum ad ſacros Ordines admittat, niſi continentiam voueat.

Illud igitur Clementis: *Qui ante ordinationem suam uxores non nouerint. hanc habet sententiam: Qui suis vxoribus non commiscetur; non enim negat coniugium cum Sacerdotio consistere, sed vsum coniugij.*

Octauo queritur, An Paulus 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. cum ait: *Episcopi, & Diaconi oportere esse vnus vxoris virum, filios habentem subditos cum omni castitate, præcipiat, ne ad sacros Ordines prouehantur, nisi ij, qui sunt coniugio alligati?* Quidam dicere non dubitarunt, Græcos in eo errore versari, vt nullum ad sacros Ordines ascendere permittat, quin prius vxorem duxerit. Ita vt sit Græcorum error, oportere Clericos, antequam ad sacros Ordines eligantur, vxores accipere, quia post sacros Ordines eis amplius non liceat id facere, & magno periculo libidinis se exponat, qui sine vxore viuit; qui fuit Vigilanti hæretici error, de quo scripsit Hierony. lib. 1. aduer. Iovin. & in epist. ad Riparium. *Proh nefas, Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes, si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam.*

Sed reuera falluntur. Nam in cano. 6. Concilij Trullani, quod Græci sextam Synodum Generalem appellant, statuitur, vt si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, velint lege matrimonij mulieri coniungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat. Hoc autem illi Patres se constituere testantur; quoniam in Apostolorum Canonibus, vt dictum est; nimirum can. 27. statuitur sic: *Imuptis, qui ad Clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint uxores accipere, accipiant, sed Lectores, Cantoresque ianummodo.* Sic ibi. Ergo Græci non cogunt aliquem ante Ordines sacros matrimonium contrahere; sed statuunt, vt qui in Clericum eligitur, si velit ad nuptias transire ante Ordines sacros acceptos, id faciat; sin minus, nouerit sibi esse interdictum matrimonium contrahere post susceptos: & qui renunt continentiam seruare, sinunt eos sibi ante sacros Ordines vxores adiungere: deinde verò ad sacros Ordines promouent. Qui verò sensus sit verborum Apostoli, quæ supra ex Epistolis ad Timotheum, & Titum protulimus, patet. Nam, vt Catholici omnes interpretes testantur, nequaquam præcipit, Paulus, vt is, qui in Episcopum, vel Diaconum eligitur, sit vir matrimonio astrictus, vel vt post ordinationem in re vxoria se exerceat: verum, vt si cõiux vir ad sacros Ordines promouendus fuerit, ne dygamus, vel polygamus eligatur.

Sciendum est, prædicti loci: Oportet Episcopum vnus vxoris esse virum, quadruplicem sensum, iuxta Catholicorum interpretum veras, & germanas expositiones, esse posse. Quidam enim sic interpretantur: *Vnius vxoris virum*, id est, qui vel nullam nouerit, vel si nouit, viduus sit; vel, quod idem est, si vir solutus ab vxore non fuerit, eius vxor antea decesserit. Meminit huius intelligentiæ B. Chryostomus homil. 10. in 1. Timot. 3. sed eam non probat. Alij verò sic exponunt: *Vnius vxoris virum*, nempe; si coniux sit eligendus, etiam vxore viuente non sit dygamus: hoc est, qui nec simul, nec diuersis temporibus plures vxores habuerit. Apostolus enim eo loco id præcepit ratione habita veteris legis Leuit. 21. hæc autem in

suis Sacerdotibus, & Pontificibus requirebat, ne in matrimonio ducerent viduam, aut repudiatam, aut meretricem, sed virginem. Et hic fuit sensus Græcorum, & Latinorum interpretum, & Romanorum etiam Pontificum. Sic Ambrosius, vel quisquis eorum Commentariorum in Paulum auctor fuit. Sic etiam ipse Ambrosius epist. 82. & lib. 1. officiorum, cap. 50. Basil. in Esai. cap. 3. Augustin. de bono coniugali, cap. 18. de Ecclesi. dogmat. cap. 72. Nissen. de virginis. cap. 6. Epiphani. heresi. 59. Siricius epist. 1. Innocentius 1. epist. 2. Leo 1. epist. 84. Primasius, Sedulius, Theophylactus, Oecumenius, Beda, Anselmus, Haymo, & S. Thom. Vnde nata est inter Augustinum, & Hieronymum controuersia, contendente Hieronymo, vt patet ex cap. Vnius vxoris, distin. 26. & cap. Oportet, 28. quest. 3. posse ad sacros Ordines eligi eum, qui post Baptismum vnâ tantum vxorem duxerit, quamuis ante Baptismum vnâ aliam, vel plures habuerit: Quia sicut Baptismus omnem maculam abstergit, sic etiam expiat, & delet omnem pœnam. Contra verò S. Augustinus, vt referitur in ca. Auius, 28. quest. 3. aiebat: esse etiam dygamum, & à sacris Ordinibus prohibendum, qui vnâ antè, & aliam post Baptismum habuerit. Nam Baptismus, inquit, peccata, & pœnas proprio peccato contractas eluit, ac tollit, non autem in vniuersum impedimenta Ordinum suscipiendorum: quam sententiam secuti sunt Latini interpretes, Theologi Scholastici in 4. distin. 27. vt habet Sotus in 4. distin. 27. q. 3. arti. 2. sequuti sunt Summistæ, vt habet Syluest. in verb. Baptismus 6.

Porro Chryostomus, Theophylactus, Theodoretus, & Oecumenius Paulum aliter etiam explicant. *Sit vnus vxoris vir*, hoc est, si coniugio sit astrictus, ne plures simul habeat vxores: & hoc aiunt præcepisse Paulum contra eos, qui ex Iudæis, vel Gentilibus erant ad fidem Christi conuersi, & more Iudæorum, siue Gentilium plures vxores simul habebat: quem etiam sensum agnouit Hieronymus in explanatione eius loci Apostolici ad Titum. Sed eum tamen sensum, quidam improbant, quoniam Paulus de Christianis loquitur, quibus semper fuit omnino interdictum plures simul vxores habere. Ceterum is mihi sensus non videtur omnino improbandus. Fateor quidem Christianis nunquam post Baptismum licuisse plures vxores ducere: Apostolorum tamen temporibus verisimile admodum sit, ex Iudæis, & Gentibus aliquos ad Christi fidem, & religionem venisse, qui suæ gentis ritu, & more plures antea vxores duxerant; vt proinde veterit Paulus, eorum quemquam in Episcopum, vel Diaconum eligi, sed qui vnâ tantum vxore contentus antea vixerat.

Postremò, alij interpretantur: *Sit vnus vxoris vir*, vult dicere, sit vnâ tantum vxore contentus, coniugalis castitatis amator, ab omni libidinis lasciuæ, & damnatæ consortio abhorrens: Qui sensus quamuis quibusdam Catholicorum placeat; mihi tamen nõ valde probatur, siue his, siue alijs modis exponamus, planè constat Apostoli mens, & sententia. Vnde extat Canon Apostolorum 17. ordine: *Si quis post Baptisma secundis fuerit nuptijs copulatus, aut concubinam habuerit, nõ potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruim.* Et canon 18. constituit:

Si quis viduam, aut repudiatam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de his, quae publicis spectaculis mancipantur, nullo Ordine sacro initietur. Hæc Canon.

Caput XIII.

Aliæ quæstiones de eadem re diluuntur.

Primo Quæritur, An cum Sacerdotio, & Diaconatu iure Diuino, an potius iure tantum Canonico pugnet vsus matrimonij etiam ante Ordinem sacri contracti? Quidam existimant pugna re. Ad cuius rei maiorem intelligentiam notandum est, hoc vnum esse inter alia diffidium Græcorum, & Latinorum. Græci enim Sacerdotibus, & Diaconis coniugij ante Sacerdotiū initi, vsu quidem permittunt, non eo tempore, quo altaris ministerio deseruire, vel consuetudine, vel lege debent, sed alio tempore. Non enim quotidie singuli sacris operantur, sed Dominicis duntaxat, & festis diebus quotidie verò extra quadragenarij ieiunij tempus vni tantum Missæ sacrificiū prouidero populo faciunt, & offerunt. Latinorum verò Ecclesia semper morem retinuit, vt Sacerdotes, & Diaconi ab omni vsu coniugij etiā ante Ordines sacros contracti se perpetuo abstineant. Vnde dist. 31. c. Quoniam. ex Canone 13. Sextæ Synodi Generalis, dicitur: Quoniam in Romanij Ordine Canonis esse cognouimus traditum, eos, qui ordinati sunt Diaconi, vel Presbyteri, confiteri, quod non suis iam copulatur vxoribus, antiquum sequentes Canonem Apostolicæ diligentie, & consuetudinis, sacrorum virorum legales nuptias amodo valere volumus, nullo modo cum vxoribus suis eorum connubia dissoluentes, aut priuantes eos familiaritate ad inuicem in tempore opportuno. Quicumque ergo Subdiaconus, Diaconus, aut Sacerdos fuerit, nullo modo prohibeatur ad talem gradum ascendere ob cohabitationem cum sua vxore; nec etiam tempore sua Ordinationis profiteri Castitatem cogatur, nec abstinere debeat à sue vxoris familiaritate. Oportet tamen eos, qui altari ministrant, tempore oblationis, continentes esse in omnibus. Si quis igitur præsumpserit contra Apostolicos Canones, Presbyteros, vel Diaconos priuare contactu, & communionem legalis vxoris suæ, deponatur. Similiter Presbyter, aut Diaconus, qui religionis causa vxorem suam expellit, excommunicatur. Si verò in hoc permanserit, deponatur. Hæc ibi. Porro hunc Canonem Sotus in lib. 7. de iust. q. 6. artic. 2. & quidam alij tanquam à vero alienū improbant, & damnant, eo quod Patres illi referant suum Decretum ad Canonem sextum Apostolorum, qui sic habet: Episcopus, aut Presbyter, vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abijciat: Si verò reiecerit, excommunicatur; & si perseuerauerit, deijciatur: & ad Canonem tertium Concilij V. Carthaginensis, in quo statuitur, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi se contineant ab vxoribus in proprijs terminis, hoc est, vicis suæ tempore. Verum Canon Apostolorum clarè non constituit, quòd ipsi voluerunt, puniendum eum, qui causa religionis vxorem suam ab vsu matrimonij remouerit: bene tamè eum, qui eam tanquam omnino alienā abiecerit, ita vt omnem eius alèdæ curam quasi nexu, & vinculo coniugij soluto, deposuerit. Ita respondet Hubertus Cardinalis in libro contra Nicetam Peccatorum Abbatem Constantinopolitanum: & habetur hæc Huberti responsio no-

mine Leonis IX. cap. Omnino, dist. 31. vbi dicitur Apostolos constituisse, ne Clerici abijciant vxores à cura sua, etiam si se ab earum thoro superauerint. Debet enim adhuc eas alere, & eis in omnibus prouidere. Hæc ibi. Sicut etiam eadem sexta Synodus Trullana can. 48. decernit, Episcopi vxor, in Monasterio aliquo degat, & prouidentia ipsius Episcopi, viri sui, sustentetur. Sic etiam Synodus Turonensis 2. cap. 8. definit, vt Episcopus coniugio alligatus habeat vxorem, vt sororem, & eius curam gerat, absque tamen vlla suspitione coniugalis commercij. Eadem ratione intelligitur Canon quartus Concilij Gangrensis, vbi habetur: Quicumque discernit à Presbytero, qui vxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit. Quod decretum facit contra eos, qui putabant coniugium esse interdictum: & propterea arbitrabantur non licere ei, qui vxorem habet, sacris operari. Tunc autem Presbyteri vxores habebant, non quibus commiserentur, sed quas vt sorores alerent, & sustentarent.

Canon autem 3. Concilij 5. Carthaginensis in hunc modum habet: Episcopi, Presbyteri, & Diaconi se abstineant ab vxoribus secundum priora, vel secundum propria statuta: quæ verba, illi Patres Græci interpretati reddiderunt sic: in proprijs terminis, & intellexerunt vicis suæ tempore: cum tamen Carthaginenses Patres dicere voluerint, secundum proprias definitiones, hoc est, secundum ea decreta, quæ in Concilio 2. Carthaginensi edita sunt. Cuius Can. 2. sic habet: Placet Episcopos, Sacerdotes, & Leuitas se continere in omnibus, quo possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruaui antiquitas, omnes custodiamus.

Sentiunt itaque quidam, Græcos post susceptos Ordines sacros, coniugio vtentes ante contracto, delinquere, & eum vsu Ecclesiam permittere nõ qui dem, vt bonum, sed vt minus malum. Quod probant auctoritate Nicolai Primi, qui, vt habetur dist. 28. c. Consulendum, respondens ad quæstiones Bulgarorum, ait: Consulendum decernitis, virum Presbyterum habentem vxorem debeat sustentare, & honorare, an à vobis proijcere. In quo respondemus, quoniam licet ipsi valde sint reprehensibiles, vos tamen Deum conuenit imitari, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos. Eijcere enim à vobis non debetis: siquidem, & Iudæ Dominus, cū esset falsus discipulus, à numero suorum non eiecit. Hæc Pontifex, qui tamen scribebat ad Bulgaros, qui semper Græcorum mores, & ritus retinuerunt, ac etiam nunc retinent.

Sed horum scilicet, ego sententiam nõ approbo: nunquam enim Ecclesia Latina Græcos tanti criminis accusauit: nec filios Presbyterorum Græcorum tanquam contra ius diuinum progenitos damnauit. Et in cap. Aliter, dist. 31. Stephanus Romanus Pontifex ait, in Orientali Ecclesia Presbyteros matrimonio vti, nec tamen eum morem, & vsu reprehendit. Item Innocentius Secundus in cap. Cum olim. De Cleric. coniug. definit filium Presbyteri Græci ex vxore genitū, iure inter Latinos promoueri, si nullum aliud Canonicum impedimentum obstat. Eius sunt hæc verba: Nos attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentie non admittit, quoniam Orientales in Minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus viuunt matrimonio iam contracto,

Vbi Pontifex Græcorum morem non damnat. Et in cap. *Quæstium de punit. & remiss.* ait Clemens Tertius: *Quæstium est, virum Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo matrimonio licet vii. Et in cap. Vi Clericorum, De vita, & honest. Cleric. ex Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio dicitur: Qui autem secundum regionis sue morem non abdicarunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, grauius puniuntur, cum legitimo matrimonio vii possint.* Vbi Glossa annotauit, hoc dici propter Orientales, qui post sacros Ordines susceptos vtuntur coniugio ante contracto.

Ob hæc igitur alij existimant, non quidē contra ius diuinum, sed contra Constitutiones Apostolorum Græcos facere. Aiunt enim prædictum Græcorum morem non esse antiquum, sed recentem, eo quod Origenes homil. 17. in Lucam. & homil. 4. in Leuit. ita scriptum reliquerit: *Certum est, inquit, quia impeditur sacrificium indefinens, ijs, qui coniugalibus necessitatibus inseruiunt. Vnde videtur mihi, quod illius solius est sacrificium offerre, qui indefinens, & perpetua se Castitati deuouerit.* Et Eusebius lib. 1. demonstrat Euang. c. 9. *Verumtamen eos, qui sacriati sim, atq; in Dei ministerio, cultuq; occupati, continere deinceps se ipsos à commercio vxoris decet.* Epiphanius in compendiaris doctrina fidei Catholice, sanctam Sacerdotium ex virginibus, vt plurimum, aut ex solitarijs, aut si ad ministerium non suffecerint, ex his, qui se à proprijs vxoribus continent, asserit constare: & si quis ab initio contempsit, viduus fuerit, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Hypodiacoconi. Et alibi in hæresi 59. contra Catharos. Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentem vnus vxoris virum Ecclesia non suscipit, sed eum, qui se ab vna continet, aut in viduitate vixit, Diaconum, Presbyterum, Episcopum, & Hypodiacoconum, maxime vbi sinceri sunt Canones Ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros, Diaconos, & Hypodiacoconos. Sed hoc non est, iuxta canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi. 12. *Si qui apud Dominum bene fungitur sacerdotio, abstinet à muliere, Ipse Iesus, quomodo ex viro, & muliere prodiurus est? Nylsenus in lib. de virginitate, cap. vlt. Quomodo Dei Sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum, vt manus offerres, vnctus es? Quomodo hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti, ne sacra impurus facias? Ac si Deum tibi apparere expetis, quid cause est, cur Moysen non audias, qui populo edicit, vt à nuptijs purus sis, quo Dei aspectum comprehendat? Chryostomus homil. 2. de patien. Iob. Dixit, vnus vxoris virum, non ea ratione, vt id nunc in Ecclesia obseruatur: Oportet enim omni profus castitate Sacerdotem ornatum esse. Hieron. contra Vigilantiū: *Quid facient Orientis Ecclesie, quid Aegypti, & Sedes Apostolica, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desierunt? Idem in Apologia ad Pammachiū: Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotiū pudici. Oecumenius in 1. Timot. 3. Non statuit Apostolus, cum ait: Vnius vxoris virum, vt ab vxore pēdeat Episcopus, aut vxorem necessariū habeat: sed si fiat è mundanis, non saltem sit digamus; ita tamen, vt vocatus ad Episcopi munus, illud compleat, vt, qui habent vxores, sint tanquam non habentes. Basil. in Iesai. cap. 3. Oportet, inquit, vt sit Presbyter omnis concubitus inexpertus, aut secundum legem Domini. 1. Tim. 3. Tit. 1. vnus vxoris vir.**

Porro alijs videtur, Græcicum hunc morē esse antiquum, hoc est, non esse recentem; inde comprobantes, quod Gregorius Episcopus, Nazi-

anzeni Gregorij pater, vnus est coniugio ante contracto. Deinde, quia Socrates lib. 1. hist. Eccles. cap. 8. Sozom. lib. 1. cap. 22. Niceph. lib. 7. cap. 19. Suidas in verbo, Paphnutius: referunt in Concilio Nicæno in hunc modum, cum Patres legem ferre statuerent, ne Clericis liceret cum suis vxoribus ante ductis commiseri; surrexit Paphnutius confessor, & contraxit, dicens: Bonum sibi videri, vt secundum antiquos Canones præcipiatur Clericis, ne post Ordines susceptos nuptias contrahant, sed solum permittantur vti nuptijs, quas ante Ordinem contraxerunt: & tota Synodus in eam sententiam iuit, & continentiam ab vxore ante Ordines accepta in arbitrio cuiusque reliquit. Sic illi.

Inter Catholicos sunt, qui totā hanc historiam de Paphnutio de Socrate, Sozomeno, Suida, & Nicephoro traditā, vt falsam, & confictam rejiciat. Soz. lib. 7. de inst. q. 6. art. 2. Canus de locis Theolog. lib. 5. c. vlt. ad 6. multis de causis. Primò, quia Gregorius I. Sozomeni historiam improbat; quippe, qui multa, inquit, mentitur. Deinde, quia tota hæc historia manifestè pugnat cū ijs, quæ ex Origene, Eusebio, Epiphano, Hieronymo, & alijs Patribus paulò ante retulimus: Ergo, aut hi falluntur, aut Socrates, & Sozomenus. Sed verisimilius videtur Socratem, & Sozomenum fuisse deceptos. Item, Synodus Nicæna Canone 3. prohibet, quo minus Episcopi, Presbyteri, Diaconi vllā domi mulierem habeant, præter matrem, sororem, amitā, aut materteram. Vbi Synodus vxorē excepisset, si eā habere Sacerdotibus licuisset. Postremo Rufinus multa de Concilio Nicæno, & Paphnutio conscripsit, & nihil meminit huius historie. Certè probabile est Græcicum morem non esse, tã recentem, quam aliqui putant, nec asserere cogimur historiam de Paphnutio in Concilio Nicæno tanquam omnino confictam, spuriam, ac suppositam esse damnandam, quam etiam Gratianus in suum decretum coniecit, diffinit. 31. cap. Nicæna. Quod si Gregorius Magnus scribit, multa esse mentium Sozomenum; non tamē id dicit de hæc nominatim historia. Et ex testimonijs Græcorum Patrum supra citatis, nō tam certò concluditur, quod aliqui putant, Græcicum morem esse ad modum recentem. Sunt enim tria, aut quatuor in hac Græcorum consuetudine, & more consideranda. Primum, Græciæ Sacerdotes omnino ab vsu coniugij abstinere tempore vicis suæ: in Græciā autem Sacerdotes, vt diximus, sacrificare consueuerunt tantum diebus Dominicis, ac festis: quotidie verò, non singuli sacra faciunt, quia vnus tantum Missæ sacrificium pro vniuerso populo offertur. Rursus quamuis Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri non se ab vxoribus perpetuò continent; id tamen faciunt Episcopi, in quibus locum habent ea, quæ ex antiquis Patribus produximus. Canon enim Trullanus 12. constituit, vt Episcopi post Ordinationem suam à proprijs vxoribus abstineant. Vnde apud Græcos etiam nunc Episcopi non creantur, nisi ij, qui matrimonij vinculo soluti, ac liberi sunt, aut qui perpetuam continentiam seruantes; & hinc est, vt ex Monachis Episcopi eligantur. Imò Canon 30. habet, vt Sacerdotes Barbarici cum ordinantur, à suis vxoribus in postquam sefe contine-

Lib. 8.
Epist. 31.

ant. Po.

ant. Postremò, quid impedit, quo minus dicere quis possit, priscis temporibus etiam in Oriente variam fuisse Ecclesiarum morem, ita ut alicubi Sacerdotes continentiam perpetuò seruaerent, alibi non item. Et proinde locum habere in quibusdam Orientis Ecclesijs, quod Epiphanius, Hieronymus, & alij tradiderunt: & nihilominus verum esse, quod Sozomenus, & alij de hac Paphnutij narratione scriptum reliquerunt. Præsertim cum in illa referatur, reliquisse Synodum continentiam ab vxoribus, ante in matrimonium habitis, in arbitrio cuiusque; & ita alij sese continebant, qui volebant, alij verò minime. Primi illi probabantur, & comendabantur. Secundi verò non condemnabantur: nec tamè idcirco probabantur. Verùm quicquid sit de hac historia, vera sententia est, perpetuum fuisse morè in Latinorum Ecclesia, ut Diaconi in susceptione Ordinis, perpetuam continentiam promitterent: quod manifestum est ex multis Concilijs in Latina Ecclesia congregatis, Elibertino *can. 33. Arelat. 2. can. 2. Carthag. 2. can. 2.* & alijs, quæ breuitatis causa prætereo, cum passim ab alijs referantur. Et hunc morem non esse iuris diuini, sed Apostolici, hoc est, ab ipsis Apostolis traditum, & acceptum; & in Græcorum etiam Ecclesia per aliqua tempora seruatum, sed postea prætermisum.

Secundò Queritur, An in Latinorum Ecclesia Subdiaconi, ià inde ab Apostolorum tempore perpetuam continentiam seruauerint, ita ut se etiam continerent ab vxoribus ante Ordinè acceptis? Respondeo, communem esse omnium sententiã in *c. Nullus, dist. 60. & in c. A multis, De etate, & qualis. & in c. Miramur, de seruis non ordinatis.* Subdiaconatù primis propagatè post Apostolos Ecclesiæ temporibus non fuisse inter sacros Ordines computatum: non quidem quod Ordo non fuerit, sed quòd non fuerit Castitatis Voto sacratiss. Id colligunt ex eo, quòd Urbanus Secundus in *cap. Nullus, dist. 60. Nullus, inquit, in Episcopum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiose viuens, inuentus.* Sacros autem Ordines intelligimus Diaconatù, & Presbyteratù: hos siquidem solos primitiua legitur habuisse Ecclesia. Subdiaconus verò, quia & ipsi altaribus ministrant, oportunitate exigente concedimus in Episcopos eligi; si tamen præclaræ scientiæ, & religionis existant: quod ipsum non sine Romani Pontificis, vel Metropolitanæ licentiã fieri firmiter permittemus. Hoc Decretum tanquam Urbani Primi citat Innocentius in *c. A multis, De etate, & qualis. Ordin.* & idem apud Iuonem in Pannormia, ex Synodo Beneuentanã, quæ habita fuit tempore Victoris Tertij, cui successit Urbanus Secundus, citatur. Item in *cap. A multis, De etate, & qualis. Ordin.* dicitur: *A multis multoies hestatur, an Subdiaconus in Episcopum eligi valeat: siquidem Urbanus quoque Primus decreuit, ut nullus in Episcopum, nisi in sacris Ordinibus religiose viuens, inuentus fuerit, eligatur. Et sacros Ordines dicit Diaconatum, & Presbyteratum, quos solos primitiua Ecclesia legitur habuisse. In quibus verbis Urbanus ad statum primitiue Ecclesiæ se retulit, in quo Subdiaconatus Ordo sacer minime dicebatur. Verùm hodie inter sacros computatur, sicut Urbanus Papa Secundus his verbis expressit: Erubescant impij, eos, qui in sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sumi possint, si castè non vixerint, excludendos*

ab omni eorundem graduum dignitate. Hæc ibi. *Cap. Miramur, De seruis non ordinatis.* sic habetur: *De Subdiaconali Ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum statutis, expressè videtur nobis, quod & is cum Diaconali gradu priuilegio non gaudeat eodem. Nam licet sacer Ordo non reputaretur in Ecclesia primitiua, tamen constitutione Gregorij, & Urbani secundum moderna tempora sacer gradus esse minime dubitatur. Hæc ibi. Glossa itidem, & alij censerent à Siricio Primo Romano Pontifice perpetuam continentiam esse Episcopis, Presbyteris, & Diaconis indictam, quam deinde Innocentius I. & cæteri Romani Pontifices confirmarunt: & Gregorij Primi decreto, ut constat in *cap. Ante triennium dist. 31. & cap. Nullum, dist. 28. & constitutione Urbani II. vi habetur cap. Erubescant, dist. 32.* votum continentiam in Subdiaconis cœpisse, cum ad ea usque tempora Episcopi, Presbyteri, & Diaconi tantum perpetuam continentiam voto promissam seruassent.*

Alijs tamen hæc sententiã non admodum probatur, eo quod in Canone Apostolorum 17. manifestè præcipitur, ut qui ad Clerum prouehuntur, si voluerint, vxores ducant, sed Lectores, Cantoresque tantummodo. Et in Synodo Romana à Siluestro Primo coacta *canone 8. dicitur: Nullum Subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus.* Porro quæ admodum post sacros Ordines susceptos prohibetur Clerici nuptias contrahere, sic etiam uti matrimonio ante contracto. Quare alij verius esse crediderunt, Subdiaconatum semper in Ecclesia fuisse Ordinem sacrum, non tamen semper pro tali agnitum, & habitum; cum multi olim dubitauerint, num inter sacros Ordines computari deberet: dubitandiq; ratio fuit, quòd Subdiaconus non ordinatur per impositionem manus Episcopi, ut Presbyter, & Diaconus, *c. Presbyter, de Sacram. non iteran.* Et quia Paulus *1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1.* solum meminit Presbyteri, & Diaconi, cum docet quales eligi debeant. Item, quia Episcopus sacrificium offerre consueuerat cum vno Presbytero, & Diacono: & inter Canones Apostolorum, Canon 7. 8. 9. 28. 29. 30. 44. 45. & 52. solum Episcopum, Presbyterum, & Diaconum memorant. Canon verò 17. 18. 25. & 50. decernunt: *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel alius ex numero aliorum, qui Clerici sunt, & ministerio sacro deseruiant, ubi Subdiaconus in aliorum clericorum numero censeri videtur: Canon 42. qui habetur cap. Episcopus, dist. 35. recenset Episcopum, Presbyterum, & Diaconum, & deinde Subdiaconum, inter alios Clericos connumerat. Ex quo factum est, ut semper certi iuris fuerit, posse Diaconum in Episcopum eligi; cum tamè olim ambigeretur, an Subdiaconus posset Episcopus creari. Nihil igitur mirum est, inquit, si Siricius Primus, & Innocentius Primus cum decernunt, ut Presbyteri, & Diaconi se contineant ab vxoribus ante Ordines susceptis, nihil de Subdiacono meminerint; non quòd Ordo sacer non fuerit, sed quòd non pro tali ab omnibus haberetur. Quod autem Gregorius Primus asseruerit, minime sibi placere legem illam sui præcessoris: ne Subdiaconi vxoribus ante ductis vterentur, nihil obstat, quoniam id de Subdiaconis Sicilia conscripsit: porro in Sicilia Græcorum mos, non Latinorum seruabatur. Vnde eius insulæ Subdiaconi Græcanico more ab vxoribus ante Ordinem assumptis, mi-*

nimè sese continebant. Et cum votum continentiae Latinorum more non emisissent, seuerius in eos esse animaduersum, scripsit Gregorius, Vt continentiam, quam nondum vouerant, seruare cogentur: & legem ipse temperauit, nimirum, vt in posterum nullus Subdiaconus eligeretur, nisi qui continentiam ante promississet more Ecclesiae Latinae. Subdiaconi verò ante electi suis vti vxoribus permitterentur, si continere nollent. Cæterum siue hoc, siue illo modo dicamus, parum refert: Subdiaconatus olim, aut sacer Ordo non erat, aut pro tali non habebatur, hoc est, Subdiaconus votum continentiae non faciebat.

Tertio *Quæritur*, An iure Ecclesia continentiae votum in ijs, qui ad sacros Ordines promouentur, requirat, & postulet. *Quæstionem* mouet, quod huiusmodi votum iure diuino non est sacris Ordinibus annexum, ergo non potuit Ecclesia eo vinculo suos Clericos obligare. Rursus, voti emissio spontanea est, & voluntaria, quamuis necessitas sit soluere promissa: ergo nequit Ecclesia quempiam cogere ad votum emittendum. *Respondeo*, optimo iure id Ecclesiam fecisse: quoniam tametsi iuris diuini tale votum nõ sit, Ecclesiae tamen ministros maximè decet: nam in vetere lege Sacerdotes vicis suae, & ministerij tempore ab vxoribus sese continebant, & laici, qui paulò ante ad suas vxores accesserant, arcebantur ab esu panis in mensa Domini expositi. Decebat igitur Clericos, qui quotidie incruentum Missae sacrificium offerunt, aut proximè in offerendo ministrant, perpetuam cum vxoribus seruire continentiam. Nec cogit Ecclesia Clericos continentiam vouere, sed fert legem, vt quicumque voluerit sacros Ordines capessere, votum emittat Castitatis, alioqui ad eos minimè accedat.

Verum nostri temporis Hæretici calumniantur, hanc Ecclesiae legem cum sacris literis pugnare. Paulus enim, inquit, 1. ad Timotheum 4. venturos prædixit quosdam, qui nuptias damnant. *Respondeo*, Ecclesiam non prohibere coniugium, nec simpliciter, & absolute imperare, vt coelibatum seruemus: sed solum lex Ecclesiastica in his, qui sacros Ordines suscipere volunt, perpetuam requirit, ac postulat continentiam: quam qui seruire recusat, si laicus sit, nulla Ecclesiae poena punitur, sed solum à sacris Ordinibus prohibetur. Nam Ecclesia quoque in suis ministris multa alia deposcit. *Secundo* obijciunt Paulum, qui 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. cum absoluti numeris omnibus, & perfecti Episcopi ideam exprimeret, inter alias dotes, & virtutes, matrimonium recenset, cum ait vnus vxoris virum esse eligendum. *Respondeo* ex comuni Græcorum, & Latinorum omnium interpretatione sententia, vt supra ostendi, ea Apostoli verba, non esse accipienda, ita vt velit Paulus nõ esse Episcopum creandum, nisi coniugem; sed nõ esse eligendum digamum, siue eum, qui plures vxores habuerit; aut qui scortationibus, & libidinibus indulgeat, minimè sua vxore contentus. *Tertio*, opponunt Paulum ad Hebræos 13. dicentem: *Honorabile conubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Si in omnibus, inquit, quidni etiam in Sacerdotibus? *Respondeo*, dixisse, in omnibus, id

est, omni ex parte, vel, apud omnes homines, hoc est, siue Græcos, siue Latinos, siue Hebræos. Cum enim Matrimonium sit iure naturali, ad sobolis procreationem institutum, apud omnes in pretio est, & existimatione. *Obijciunt*, & illud Genes. 1. & 9. *Crescite, & multiplicamini*: ergo sicut nemini fas est promittere se nihil vnquam cibi sumpturum, cum talis promissio iuri naturali repugnet: sic etiam non licet vouere perpetuò coelibatum, cum diuinæ legi prædictæ aduersetur. Rursus 1. ad Corinth. 7. ait idem Apostolus: *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat.* Et paulò infra: *Melius est nubere, quam vris.* *Respondeo*, huiusmodi obiectiones esse fuitiles, & inanes. Nam illud: *Crescite, & multiplicamini*, dictum est ad primos generis humani satores, & parentes, quia tunc erat genus humanum propagandum. Nec id præcepti vllam vim habet, nisi in illo, & simili alio rerum euentu, vt pote necessariò ad genus humanum conseruandum. At verò longè diuersa ratio est in vita nostra tuenda, quam simpliciter iure naturali conseruare debemus. Illud verò: *Propter fornicationem autem, &c.* De coniugibus dici, omnes Græci, & Latini interpretes testantur. Nam Ethnici coniugio victi nuper ad Christi fidem conuersi ambigebant, an suis vxoribus, quas ante habuerant, tuta conscientia vti possent. *Respondeo* Apostolus, *Possent*: & proinde, vnusquisque, inquit, suam vxorem habeat, quasi diceret, vir coniugij vinculo alligatus, Christianæ religionis studio, & causa, non debet se ab vxore, & thoro abstinere: est enim iure permixtus, ad propriam vxorem accessus, quare coniux quisque, libidinis vitandæ gratia, vtatur sua vxore. Nam postea idem subiungit Apostolus: *Dico autem, non nuptijs, & viduis: Bonum est illis, si permanserint.* Item, solutus es ab vxore? Noli querere vxorem. Postremò illud Apostoli: *Melius est nubere, quam vris* Græci, & Latini interpretes intelligunt: Tolerabilius est vinciri, hoc est, matrimonium contrahere, quam cupiditatibus carnis, & sensus, & stimulis libidinis agitari, & vexari. Et notant itidem Apostolum loqui de inuuptis, hoc est, solutis, non autem voti nexu, & vinculo adstrictis.

Quarto *Quæritur*, An ius habeat Ecclesia præcipiendi, vt cæteri Clerici, qui sunt Subdiacono minores, sese voto Castitatis obstringant? *Respondeo* ex ijs, quæ paulò ante dixi, neminem absolute quidem, & simpliciter esse cogendum, vt quippiam voueat, cum votum debeat esse voluntarium, etsi iure aliquis cogi potest, promissa seruire. Nihilominus tamen lex, iure optimo fertur, vt quis continentiam voueat, si velit ad Ecclesiasticos Ordines ascendere. Ecclesia itaque Clericis Subdiacono inferioribus, qui sunt hætenus ad Ordines electi, lege præcipere non potest, vt continentiam perpetuò voueant, hoc est, vt perpetuè Castitatis votum emittant, quoniam absque tali voto sunt Ordinibus initiati: posset tamen constituere, vt qui deinceps eligentur, sese continentiae voto adstringant; sin minus, ne ad Ordines accedant. Item potest præcipere, vt qui iam sunt ad Ordines promoti, vel continentiam seruent, vel omni Clericorum priuilegio careant.

Si **quæras**, An olim aliqui Clerici ex ijs, qui sunt Subdiacono minores, Castitatis voto teneantur obstricti? Ratio dubitationis est, quia *Canone 12. Apostolorum dicitur: In nuptijs autem, qui ad Clerum protracti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant; sed Lectores, Cantoresque tantummodo.* Ergo Acolyti nuptias contrahere non poterant. **Respondeo**, in eo Canone appellatione Lectorum, & Cantorum intelligi omnes Clericos, qui sunt minores Subdiacono: hos enim Clericos, Græci voce Lectorum, & Cantorum accipiunt. Eodem modo intelligitur Canon *distinct. 32. in cap. Lectores, ex Concil. Carthagin. 5. ubi dicitur, Lectores cum ad annos pubertatis veniunt, cogantur, aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Nomine Lectorum accipit etiam Exorcistas, & Acolytos.

Quintò Quæritur, An possit Ecclesia, ijs, qui in sacris sunt Ordinibus constituti, concedere, uti nuptias contrahant, vel ijs ante Ordines contractis utantur? Abbas in *c. Cum olim, de Cleric. coniugat.* non videtur mihi satis cautè hac in parte locutus, cum sic ait: *Credo pro bono, & salute animarum, quod esset salubre statutum, ut volentes continere, & magis mereri, libera sua voluntati relinquere: non volentes autem continere, possent contrahere, cum, experientia docente, contrarium profus sequatur ex illa lege continentie, cum quoidem non vincta spiritaliter Sacerdotes, nec sine mundi, sed maculentur illicito coitu, cum eorum gravissimo peccato, ubi cum propria uxore esset castitas, ut habetur *distinct. 31. cap. Nicæna. Vnde deberet Ecclesia facere, sicut bonus medicus: Vt si medicina, experientia magistra, potius officit, quam proficiat, eam tollat.* Sic ille. Certè liberius loquutus est, quàm par est. At Sotus *lib. 7. de inst. q. 6. ar. 2.* absolute concedit posse. Ecclesiam eiusmodi facultatem dare, sed non nisi gravissimis de causis: hoc est, posse Ecclesiam iusta de causa indulgere, ut sacerdos castitatis lege solvatur.*

Sed reuera distinguendum est: aliud enim est, si loquamur de ijs, qui sunt hæctenus ad sacros Ordines euecti, atque de ijs, qui in posterum prouehantur. Nam primi illi continentie Votum emiserunt, & proinde nequit Ecclesia facultatem concedere, nisi votum relaxet. Sed quempiam Voti vinculo solvere Ecclesia non potest nisi gravissimam ob causam, cum Votum sit iure Diuino perfoluendum. Quare ut quis ab huiusmodi Voti nexu eximatur, potest iusta subesse causa, nimirum communis Reipublicæ salus, pax atque tranquillitas, ut quis in regno succedat, vel ut Princeps ad Christi fidem, & religionem traducatur: at verò ut promiscue omnes, & generationi qui sacros iam Ordines susceperunt, ad nuptias transeant, meo quidem iudicio, nulla talis potest iusta causa contingere. Si verò de ijs sermo sit, qui in posterum eligentur, non est opus relaxatione Voti, quale nullum hæctenus emiserunt: sed id solum opus est, ut Ecclesia legem abroget, quam condidit, ne deinceps sacris sit Ordinibus Votum continentie annexum: & hanc legem posse quidem Ecclesiam antiquare, & tollere, sed non nisi magnis, & gravissimis de causis: quales non sunt ex communes & solite, quas cernimus, nimirum quod multi clerici sacris Ordinibus initiati castitatem non seruent, quod votum sæpe violent: huiusmodi enim cõ-

suetudo corruptela est, & peccati turpitudinem auget, non excusat. Ergo ut hic vel ille lege perpetuæ continentie solvatur, iusta causa contingere aliquando potest, at ut lex in vniuersum tollatur, non video, quænam iusta causa possit accidere, ut ij, qui sunt sacris Ordinibus initiati uxores ducant, aut ut ij, qui coniuges sunt, ad sacros ordines prouehantur, & permittantur uti vxoribus ante ordines acceptis.

Sextò Quæritur, quid ius Canonicum constituerit de coniugio post sacrum Ordinem contracto? De hac quæstione tractant Canonici iuris interpretes in *cap. 1. & 2. qui clerici vel vouentes, & c. Si quis eorum, & cap. Erubescant, d. 32. & Theolog. in 4. distinct. 38. Respondeo*, illud iure Canonico esse irritum, & inane ut colligi potest ex *c. Si quis eorum, & cap. erubescant, distinct. 32. ex cap. de Diacono, & cap. Ex litterarum, qui Clerici vel vouent. ex Alexandro Tertio. Sed clarè, & apertè ex cap. 1. de Voto, & Voti redempt. in sexto ex Bonifacio Octauo. Rufinus; Clericus post sacrum Ordinem, matrimonium contrahens, ipso iure in Suspensionem incurrit *cap. 1. & 2. Qui Clerici vel vouentes*: in his enim locis statuitur huiusmodi Clericum nec posse in Ordinibus ministrare susceptis, nec ad altiores Ordines prouehi. Conceditur tamen, ut Episcopus eam irregularitatem amouere possit, ut testantur Innocentius, Hostiensis, Abbas & Glossa *ibidem*, dummodo nulla sit aliorum offensio, nec alij inde vllum prauum exemplum accipiant, & Clericus de suo peccato doleat. Item ipso iure in excommunicationem incidit, *Clement. 1. De consanguinit. & affinit. ex quo fit*, ut huiusmodi clericus nec reddere, nec exigere debitum coniugale possit: quoniam coniugium est irritum, & inane.*

Sed quæstio est inter Canonici iuris interpretes, an ipso facto talis Clericus Ecclesiastica beneficium amittat? Duæ sunt opiniones auctorum: prima negat ipso facto eum amittere, sed censet auctoritate Ecclesiæ priuari debere. Sic Glossa, Butrius, Cardinalis, Imola, Decius, quos citat Couarr. in *Epitome in 4. librum Decretalium, p. 2. cap. 6. §. 3. nu. 4.* Id colligunt quia matrimonium contractum est irritum & inane, & beneficia non amittuntur nisi ratione contracti coniugij quod iure subsistit. Secunda opinio affirmat; quam teneunt Ioan. Andreas quamuis sibi teste Abbate contrarius, Ancharanus, Abbas, Cardinalis, & Henricus, & Staphileus, & Romanus, quos refert, & probat Couarruias; atque hæc est *verior opinio*, eo quod beneficium amittitur ex ipso facto, quamuis matrimonium nullius ponderis, & momenti sit. nam eo ipso Clericus contrahens videtur pro derelicto beneficium habere, siue matrimonium contrahat cum consanguinea, siue cum alia. **SIRONGES** an per sponsalia verbis futuri temporis contracta beneficium amittatur? **Respondeo** cum Abbate in *cap. 1. de Cleric. coniug.* Ioan. Andrea *ibidem*. nõ amitti, quia talis poena restringi debet, ergo ad sponsalia trahenda, & protendenda non est. Sic etiam Couarr. *loco cit.* docet.

Septimò Quæritur, quid iura Canonica statuerint de coniuge, vtrum possit sacros ordines suscipere? **Respondeo** in primis, matrimonium etiam ratum sed nondum consummatum nõ dissoluit cum quis ad sacrum ordinem eligitur, quo differt

huiusmodi soleme Votum continentiae à solēni Voto Religionis, quod Religionis professione matrimonium ratum, quod non est consummatum dirimitur, non tamē sacri ordinis susceptione, vt habetur in Constitutione Ioannis XXII. que incipit. *Antiqua, De Voto, & Voti redempti.* Rursus coniux vxore annuente potest iure ad sacros ordines promoueri; dummodo ipsa si iuuenis sit, aut ob incontinentiam suspecta, Religionem profiteri cogatur: vt sentiunt Hostiensis, Calderinus, Antonius & Abbas in cap. *Coniugatus de conuers. coniugat.* quamuis alij opinentur id necesse non esse, sed verius est primum. Si verò vtrumque absit, hoc est, nec iuuenis, nec suspecta sit, factis est, si extra Religionem continentiam vouerit, cap. *Coniugatus, De conuers. coniugat.* Ac verò si maritus in Episcopum eligatur, requiritur, vt vxor simpliciter Religionem profiteatur, quamuis sit ætate prouecta, nec suspecta de incontinentia. Sic Hostiensis, Calderinus, Antonius, Abbas in c. *Sanē, De conuers. coniugat.* **SI QVÆRAS**, an coniux possit iure ad primam Tonsuram, & quatuor minores Ordines promoueri. *Respondeo*, minime, nisi volentem ad Religionem transire, vel ad sacros ordines ascendere, vt dicitur in cap. *vt. de i. p. ordina. in sexto.*

Octauo *Quæritur*, quid sit iure Canonico constitutum de Clericis minoribus contrahentibus nuptias? *Respondeo*: Si duxerint vxorem, ratum est matrimonium, nec ducendo, nec utendo coniugio peccant. Doctores in cap. *1. De cleric. coniug.* ex Alexandro Tertio, ipso tamen facto Ecclesiastica beneficia amittunt, vt in eodem cap. *statuimus*, & ab vsu ordinū remouentur. **QVÆRES** an statim amittant per matrimonium ratum nondum consummatum? sententia est omnium communi consensu recepta, amittere, in id si sponsa antequam matrimonium consummatur Religionem profiteatur, maritus beneficia non recuperat. Abbas, Imola & alij c. *1. de cleric. coniug.* quoniam beneficium fuit amissum, & obligatio semel tantum extincta amplius non reuiuiscit, nec Beneficium amissum repetitur, nisi de nouo conferatur. Vacant etiam quælibet iura vt regressus, accessus, ingressus, ad Beneficium Ecclesiasticum, vt ait Glossa quam ceteri teste Couarruuias sequuntur. **ROGABIS** in super, an vnâ cum Beneficijs Ecclesiasticæ quoque pensiones amittantur, & cessent. *Respondeo* amitti: nam quæuis sint, qui afferant eas non amitti, verius tamen alij senserunt, eas omnes cessare, & extinguere, quæ nomine & ratione Clericorum habentur. Ita Hieronymus Gigas, Cardinalis, Ioannes Baptista, & alij quos citat & sequitur Couarruuias loco citato, num. 6. hoc enim habet vsus, & stylus Curie Romanæ. Ex verò pensiones quæ non dantur nomine Clericorum, ea ratione non cessant: quales sunt quæ auctoritate Romani Pontificis conferri solent certorum Ordinum Militibus coniugij vinculo alligatis. **Quæstio est** tamen dubia, & incerta, an si talis Clericus contrahat matrimonium, quod ratione alicuius impedimenti Canonici sit irritum, Ecclesiasticum Beneficiū amittat. *Respondeo* distinguendo cum Abbate, & Ioanne Andrea in c. *diuersis, De cleric. coniug.* Si matrimonium sit irritum, & inane, quia in eo

Clerici contrahentis consensus desit, Beneficiū is Clericus non perdit: Si vero ad sit consensus, & matrimonium nullius momenti sit propter aliud Canonicum impedimentum, quod ipsum coniugium irritū reddit, ipso facto Clericus Beneficium, & pensionem Ecclesiasticam amittit. Vt si contraxerit cum consanguinea, vel affini, in gradibus Ecclesiæ lege interdictis. Item, *quæres*, an Beneficium vacet vel pensio amittatur, ipso facto, si huiusmodi Clericus contrahat matrimonium cum impubere? Id quidam affirmant, inter quos est teste Couarruuias Staphileus, sed Henricus vnâ cum alijs quos refert & sequitur Couarruuias loco citato num. 4. negat, nec immerito: siquidem coniugium cum impubere contractum vim, & locum matrimonij iure Canonico non habet, sed sponsaliorum tantummodo naturam & vicem, quæ sunt simplex futuri coniugij promissio. Postremò, si *quæras* an si huiusmodi Clericus sola sponsalia contraxerit, pensionem Ecclesiasticam amittat? *Respondeo* cum Abbate, & alijs, nequaquam, sicut nec Beneficium perdit, vt paulò ante dixi: nam cum hæc sit pena iuris, restringi debet; Canones autem solum voluerunt pro coniugio Beneficium Ecclesiasticū ac proinde pensionem amitti.

Nondò *quæritur*, An Clericus in sacris ordinibus constitutus si nuptias contraxerit, crimen incurrat, quod sacrorum Inquisitorum auctoritate cognosci, iudicari, & puniri debeat? *Quidam*, inquit, si publicè contraxerit, ius habere Inquisitores in eum animaduertendi, non tanquam in hæreticum, aut de hæresi suspectum, sed tanquam malè sacramento abutentem. Alij verò simpliciter id negant, quia nec est hæreticus, nec de hæresi suspectus, nec sacramenti contemptor, sed solum legis Ecclesiasticæ violator. *Siman. de iustit. Cathol. tit. 40. num. 13.* videtur docere huiusmodi crimen à sacris Inquisitoribus iure posse cognosci, iudicari, & puniri, quia Clericus abutitur matrimonio, & quia suspectus de hæresi est.

Caput XIV.

Quaedam alie quæstiones circa eandem rem.

Primò *Quæritur*, An qui post matrimonium consummatum suscipit sacrum ordinem in Latinorum Ecclesia, possit iure vti coniugio ante contracto. Communis est omnium opinio, quam habet S. Thomas in additionibus ad 3. partem, *quæstio. 53. artic. 4. ad 1.* vbi distinguit sic, aut suscipit ordinem sacrum vxore annuente, aut renuente, vel inscia. Si annuente vxore, nec petere, nec red. lere debitum coniugale potest: nec petere, quia se voto castitatis obstrinxit; non red. lere, quia eo ipso, quod vxor annuit ac voluit, vt vir sacrum ordinem susciperet, debuit votum continentiae facere, ac proinde se iure petendi debitum coniugale priuauit. Si inuita vel ignorante vxore sacrum ordinem susceperit, debitum coniugale exigere iure nequit, debet tamen vxori petenti reddere: petere non potest, quia voto continentiae sese obligauit, & ideo suo iure pe-

tendi

tendi cessit. Reddere tamen cogitur, quia cum vxor renuerit, vel ignorauerit, suo iure petendi non cessit, ac propterea ipsi petenti vir debitum soluere iure compellitur.

Secundò quæritur, quid iuris sit, quando vir post matrimonium nondum consummatum sacrum ordinem susceperit. Respondeo in primis, inuita vel infcia vxore iure non posse maritum ad sacros ordines ascendere, licet ad Religionem transire iure queat. Abbas in cap. 1. de conuersione coniugat. Deinde aut vxore renuente vel ignorante id maritus facit, aut annuente. Si annuente, matrimonium consummare non potest, neque petendo, neque reddendo debitum. Non petendo, quia votum perpetuæ continentie fecit: non reddendo, quia vxor eo ipso quod annuit, castitatis votum emittere iure compellitur, & ideo se iure petendi priuauit. Si renuente vel ignorante vxore id faciat, petere debitum iure non potest, quia votum Castitatis emisit. At dubiæ quæstionis est, an vxori petenti debitum soluere iure possit. Meo iudicio non potest, quia eo ipso quod sacrum ordinem suscipit, continentie voto obligat se Deo, & cum matrimonio sit ratum, non consummatum, debet implere votum ingrediendo in religionem, quia iure potest ingredi etiam inuita vxore, & cum ingredi iure queat, id facere iure compellitur, vt votum continentie seruet. Et hoc multo probabilius & verius existimo, quam oppositum: hæc enim quæstio est eadem, quæ illa, an qui post votum simplex castitatis nuptias contraxit, & matrimonium nondum consummauit, iure ipso cogatur ingredi in religionem, vt suum votum seruet. Soci in 4. dist. 38. q. 2. art. 1. sentit, iure nõ cogi, & proinde tuta cõscientia posse cõsummare coniugium, non quidem petendo, sed reddendo debitum. Soci sententiam nonnulli viri pij, & docti sequuntur. At ego probabilius puto quod Palu. in 4. dist. 38. quest. 3. art. 3. conclus. 5. & dist. 27. q. 1. art. 3. in casu 5. & Silu. Matrimonium. 7. quest. 1. & Astenfis Hostiensis sequutus, lib. 8. tit. 11. artic. 2. quest. 5. dixerunt, debere se ad Religionem cõferre, quia cum id possit iure facere, debet facere, vt votum continentie seruet.

Tertiò quæritur, an vir, qui post matrimoniũ, sacrum ordinem suscipit, irregularis sit factus? Respondeo, eo ipso irregularitatem contrahere: nam in Extrauaganti Ioan. 22. Antiquæ. de voto & voti redemp. legimus, ordinarum, quod nec matrimonio soluto in sic suscepto ordine ministrare, nec ad superiores ordines prouehi, nec ad aliquod Beneficium vel officium Ecclesiasticum valeat promoueri.

Quartò quæritur, an vir post diuortium legitima iudicis auctoritate facti, possit iure ad sacros ordines promoueri. Respondet quidam Theologus in tract. de Sacramento Matrimonij. q. 53. art. 4. Si vxor fuit causa diuortij, vt potè quæ adulterium admisit, posse, quia ita, inquit, definitur in cap. Constitutus, de conuersione coniugat. Et quia id ratio ipsa probat: nam eo ipse vxor ius petendi debitum amisit, & vir potest vel ad Religionem transire, vel sacros ordines capessere, vel in seculo manere & vxori debitum denegare. Sed hæc sententia dubia & incerta est, vt fusius dicam in q. 13.

Quintò quæritur, An vir, qui post matrimo-

nium, per vim vel metum mortis, qui metus dicitur cadens in virum constantem, sacrum ordinem suscipit, possit vt coniugio ante contracto. Communis est opinio, posse, quia votu continentie est iure irritum & inane, si factum sit vi vel metu mortis. Silu. Ordo. 4. q. 1. vbi citat Ray. Angelum, Rosellam & alios.

Sextò quæritur, An apud Græcos, si vir post matrimonium, sacrum ordinem recipiat, possit iure vt coniugio tempore ministerij sui sacri? S. Thomas in additionibus. quest. 53. art. 4. ad 3. respondet distinguendo sic, aut suscipit repugnante vel ignorante vxore, vel consentiente. Si repugnante vel infcia, petere non potest, sed reddere debitum cogitur. Non potest exigere, quia ipse se hoc iure priuauit: debet soluere, quia vxor ius suum petit, cum reclamauerit, vel ignorauerit, nec suo iure cesserit. Si annuente vxore; nec potest petere, nec reddere, quia vterque suo iure cessit. Sic etiam Astenfis. in sum lib. 8. tit. 22. art. 2. Nam apud Græcos etiam viri sacros ordines suscipere iure nequeunt absque vxoris consensu, vt ait Astenfis loco citato sequutus Lau. Ioan. & Ray. Hostiensis.

Septimò quæritur, An apud Græcos vir sacris ordinibus initiatus mortua vxore possit aliã ducere. Respondeo, non posse, nec matrimonium ratum erit, si alias nuptias contraxerit. quoniam etiam apud Græcos sacerdos digamus esse iure non potest. Sed dubiæ quæstionis est an idem iuris sit de vxore, ita vt defuncto viro alteri nubere nequeat. S. Thomas in addit. q. 53. art. 4. ad 4. respondet, aut vxore volente vir ad sacros ordines promotus est, aut reluctante vel nescia, si vxor annuit, alteri nubere iure nequit, quia eo ipso iure suo cessit: si repugnauit, vel ignorauit, potest ad secundas nuptias transire, quia ius suum non amisit.

Octauò quæritur, An qui per vim, vel metum in constantem virum cadentem ad sacros ordines promouetur, continentiam seruare cogatur? Hanc quæstionem tractant Canonici iuris interpretes in c. Maiores. §. vlt. de Baptismo. & eius effectu. Et in Clem. vlt. §. vlt. de stat. & qualitat. ordinando. Conuenit inter omnes, eum, qui per vim sacris ordinibus iniciatur, castitatem seruare nullo iure compelli, & posse nutu suo nuptias contrahere: quoniam sacrorum ordinum characterem non suscipit inuitus. Silu. Ordo 4. q. 1. Angel. Ordo 3. q. 25. Rosell. Ordo 3. num. 5. Tabien. Ordo 2. q. 16. Armil. Ordo num. 13. Glossa & Doctores in cap. Maiores. §. vlt. de Baptismo, & eius effectu. Tota quæstio locum habet in eo, qui per metum cadentem in constantem virum ad sacros ordines prouehitur. In hac quæstione si auctoritate & testimonio Doctorum sententiam definire velimus, difficile est, quoniam vtramque partem quæstionis, Doctorum multorum confirmat auctoritas, quamuis, ni fallor, plures sint, qui senserint, eum castitatem seruare debere, si ante susceptos ordines sacros, matrimonio solutus sit. Si verò rationum pondera, & firmamenta expendamus, potius definire debemus, eum continentiam seruare nullo iure cogi. Constat inter omnes, eum, qui sacris ordinibus iniciatur, si ante ordines matrimonio coniunctus erat, continentiam

seruare non cogi contra vxoris voluntatem. **Quæstio** igitur est, de eo, qui ordinatur, & ante ordines, matrimonij vinculo liber & solutus est. Sunt duæ opiniones. Vna affirmat, eum iure cogi castitatem seruare. Sic Goff. in *Sum. de etate & qual. ordin.* Hoffien. in *Sum. de etate & qual. ordin. num. 5.* Palud. 4. *distin. 38. quest. 3. artic. 4. conclus. 6.* Antonin. 3. *par. tit. 14. cap. 16. §. 18. propè finem.* Silu. *Ordo. 4. quest. 1.* Tabien. *Ordo. 2. quest. 17.* Pifanel. cum *supplemen. Ordinat. 1. versic. virum coactè ordinatum.* Armil. *Ordo. num. 14.* Archidiacon. *cap. de Iudeis. distin. 45. ad finem.* Ioannes And. Antonius But. Abbas, in *cap. Maiores. §. vlt. de Baptif. Cardin. in Clem. vlt. de etate & qual. ordin. §. vlt. num. 14.* Henricus Boich. in *cap. Maiores. de Baptif. §. vlt. Preposit. in cap. 1. distin. 74.* Cardin. in *cap. de Iudeis. distin. 45.* Denique dicit Abbas in *capite citato maiores*: hanc esse opinionem communem: intelligit esse communem inter Canonici iuris interpretes. Altera opinio negat eum debere continentiam seruare, sed ait, posse nuptias contrahere, si velit. Sic opinatur Glossa in *cap. Maiores, verbo conditionaliter nolens de Baptif. & in cap. Vbi ista. distin. 74.* Vincent. Phil. & Ioann. in *Sum. Confesso. de etate & qual. & temporib. ordin. quest. 50. & 51.* Angel. *Ordo. 3. num. 26.* Rosel. *Ordo. 3. num. 5.* Mai. in 4. *distin. 24. quest. 2. ad argumentum. 5.* Sot. in 4. *distin. 25. quest. 1. artic. 2.* tamen si alibi contrarium dicitur: nam *Lib. 7. de Iust. quest. 2. art. 5. ad finem, sic ait.* Quapropter etiam si quis consensu extorto per metum cadentem in constantem virum sacris initiatur, voto etiam eodem castitatis tenetur secundum dexterem opinionem, vt bene ait Siluester in *verbo Ordo. 4.* Nisi forsitan vxori esset matrimonio coniunctus, qui inuita vxore abstinere non potest. Atque id probat argumentum sumptum ex *cap. de Iudeis. distin. 45.* Vbi illi Baptizati ad fidem coguntur, propterea quod character essent insigniti: & tamen illis, qui renunt, grauius est ad totam Christianam Religionem obligari, quam ad solum castitatis votum. Hæc ibi Sotus, vbi sibi in multis aduersatur. Nam in 4. *distin. 25. quest. 1. art. 2.* Oppositam sententiam docet: & Siluestri opinionem refutat: & argumentum sumptum ex *cap. de Iudeis* dicit, nihil concludere. Rota in *Decisionibus recens typis mandatis. par. 1. Decif. 660.* videtur approbare primam sententiam communem: sed Decif. 661. omnino secundam opinionem amplectitur. Et eam etiam videtur Innoc. sequi in 6. *vel non est compos. de temporib. Ordinat. & Ricar. in 4. distin. 25. artic. 4. quest. 2. ad 3.* Mihi videtur secunda opinio multo magis cum ratione ipsa & iure congruere. Nam vt rectè argumentatur Glossa in *c. Vbi ista, & cap. Maiores. supra citatis*, castitas perfecta & integra, est res voti, non præcepti. *Integritas. 32. q. 2. Item,* quia continentia non nisi voluntaria debetur. *c. ante triennium. distin. 31. & cap. Presens. 20. quest. 3.* Insuper, vbi motus in virum constantem cadit, votum vim non habet. *c. Perlatum. Et cap. Cum dilectus, de his, que vi metusue causa fiunt.* Accedit his, quod eandem rationem videtur exigere votum tacitum, quam exigit votum expressum, sed votum expressum continentie per metum extortum irritum est, ergo & tacitum. Et hanc opinionem, vt ait loco citato Rota, Stylus Cancellariæ approbavit, quæ liberam dat facultatem,

vt contrahat nuptias is, qui sacros ordines recipit per vim, vel per metum mortis, vel antequam sit doli capax.

Obijcies, naturam & conditionem eius, quod est principale, sequitur id quod accedit ad principale, sed is, qui per metum sacros ordines suscipit, characterem recipit ordinis, ergo eo ipso cogitur continentiam seruare: alioquin enim ordinem receptum despiciere videretur. **Respondeo**, id quod accedit ad alterum, sequitur conditionem eius, quando ea duo sunt sibi connexa vi & natura sua, vel iure diuino, at continentia est sacris ordinibus annexa decreto Ecclesiæ, & voto tacito, quod Ecclesiæ constitutione fit. At votum non fit nisi sponte: alioqui per metum mortis factum, irritum esse Ecclesiæ constituit.

Obijcies Secundo, ex *cap. de Iudeis. distin. 45.* Iudæi per metum baptismate abluti, fidem, religionem, & legem Christianam seruare coguntur, eo quod baptismatis characterem receperunt, sed qui per metum ordinatur, ordinis characterem suscipit: ergo continentiam seruare compellitur, si quidem continentia cum sacris ordinibus coniungitur, aut sacros ordines comitatur & sequitur, sicut Christiana lex ipsum baptismum. **Respondeo**, nihil argumento concludi, quoniam Christiana lex baptismum sequitur iure diuino: ac proinde qui baptismum suscipit, etiam si metu coactus suscipiat, ipso diuino iure compellitur Christianam legem tenere, & seruare: at sacros ordines continentia non sequitur nisi voto implicite & tacite facto ex Ecclesiæ statuto: & votum per metum mortis extortum irritum esse voluit Ecclesiæ.

Tertio opponitur, coacta voluntas per metum, voluntas est *cap. Merito 15. quest. 1.* ergo qui per metum sacris ordinibus initiatur, voluntarie ordines suscipit, ergo voluntarie sese voto castitatis obstringit. **Respondeo**, voluntatem per metum mortis coactam sufficere ad baptismum, & ordinem recipiendum, sed non satis esse ad votum continentie faciendum: quia voluit Ecclesiæ, vt votum vim & locum non habeat nisi sponte fiat, hoc est sine metu in virum constantem cadente.

Quarto obijcies, eum, qui per metum mortis recipit sacros ordines, debere continentiam seruare non quidem ratione voti, quod voluntarium esse oportet, sed ratione Ecclesiasticæ constitutionis, quam etiam inuiti cogimur obseruare. **Respondeo**, huiusmodi constitutione teneri, qui sponte sua absque metu mortis ad sacros ordines promouetur, vt ait Ricar. 4. *distin. 25. art. 4. q. 2. ad 3.*

Si quæras, an qui per huiusmodi metum sacris ordinibus initiatur, gaudeat Clericorum priuilegijs. **Respondeo**, cum perpetuo vsu & functione ordinum priuandum esse, nisi metu omnimotomoto continentiam perpetuam sponte promittat: Et propterea Clericorum priuilegio gaudere non potest, si ad nuptias transeat.

Nono Quæritur, An puer, qui antequam sit rationis compos, sacris est ordinibus initiatus, continentiam seruare debeat, cum ad ætatem adultam peruenerit. **Palu. in 4. distin. 25. q. 3. artic. 1. ad finem** ait, eum nullo voto castitatis obstringi, & iure posse nuptias contrahere, quia continentiam

seruare

feruare non cogitur, at postea in 4. dist. 37. q. 1. art. 2. conclus. 3. Oppositum videtur docere, ait enim eum continentiam seruare perpetuò debere nõ vi voti, sed vi statuti Ecclesiastici, quo ligantur qui sacris ordinibus sunt initiati. Idem etiam Bernar. sentit in cap. 1. de Clerico per salt. promotio. Ricar. in 4. dist. 25. art. 4. quest. 2. ad 3. respondet continentiam secundum aliquos non esse annexam ordini sacro, nisi quando quis ipsum voluntariè suscipit: quamuis aliqui dicant contrariũ. Sic ille. Sotus 4. dist. 25. q. 1. art. 2. absolutè negat eũ vllõ voti vinculo teneri, vnde dicit continentiam seruare non cogi, & posse nuptias contrahere, si velit. Idem cenfet Mai. in 4. dist. 24. q. 2. in 5. argumento, idem quoque docet Abbas in cap. 1. de Clerico per saltum promotio: vbi citat Inno. Hostien. Archidiaconum. Et hoc mihi videtur probabilius & verius. Conuenit inter omnes eum puerum ordinis characterem suscipere, quamuis male is faciat, qui cum ad sacros ordines promouet, ordinis tamen functione & vsu priuatum esse, nisi cũ factus est rationis compos, continentiam perpetuam promittat.

Decimò queritur, an qui per ignorantiam sacris ordinibus fuerit initiatus, continentiam seruare cogatur. Quæstionem mouet ratio, quæ videtur, ostendere eum nullo voti vinculo obligari, eo quod ignorat omninò, eos, qui ad sacros ordines prouehuntur, continentiam polliceri. Respondeo distinguendum esse: aut qui ordinatur, penitus ignorat se ordinem sacrum recipere, aut scit quidem se ad sacrum ordinem promoueri, nescit tamen an continentiam promittant, qui ad sacros ordines ascendunt. Si primum, continentiam seruare non cogitur in foro conscientie, quia non suscepit sacrum ordinem voluntariè, eo quod fuerit ordinatus ignorans omninò quid in eo fieret: in foro tamen iudiciali, talis ignorantia non censetur probabilis & iusta. Si secundum, continentiam seruare iure compellitur, quia votum continentie implicitè fecit eo ipso, quod sciens ac volens sacris est ordinibus initiatus: Sicut etiam preces Horarias Canonicas recitare debet, quamuis nescierit se ea lege obligari: nam qui vnũ sciens facit, facere iure creditur, quod est penitus annexũ ei, quod facit. Qui prætoris officium sciens recipit, suscipit etiam voluntariè onera officio connexa.

Vndecimò queritur, an relicta vxor eius, qui ad sacros ordines promouetur, post obitum viri iure possit alteri nubere, & an, si alteri nupserit, matrimonium vim habeat. Conuenit inter omnes, si consensu vxoris expresso vel tacito vir ad sacros ordines ascenderit, viduam relictam alteri nubere iure non posse: quia eo ipso, quod consensit, vt vir sacros ordines suscipiat, cogitur religionem profiteri, si iuuenis sit, vel suspecta de incontinentia, aut saltem si fuerint sexagenaria, cogitur continentiam perpetuam vouere. Itè constat apud omnes matrimonium contractum ab huiusmodi vxore vidua relicta irritũ esse & inane, vt patet ex cap. Si se cuiquam, & cap. Si qua vidua, dist. 28. c. Seriatim, dist. 32. Sed dubia quæstionis est, cur huiusmodi matrimonium sit irritum. Hanc quæstionem tractat Bona. in 4. dist. 37. in expositione iteræ, & Glossa in c. Si se cuiquam dist. 28. Turrec. in c.

Seriatim, dist. 32. c. Si se cuiquam, dist. 28. Quidam teste Bonauentura, aiunt, vxorem consentientem viro, eo ipso vouere, & huiusmodi votum, cum solenne non sit, impedire matrimonium contrahendum, sed contractum non dirimere. Hoc tamen videtur pugnare cum eo, quod habetur in prædicto capite, si se cuiquam, dist. 28. Quare alij dicunt huiusmodi vxoris votum esse solenne, quia vir & vxor actiones spirituales secum inuicem comunicant, quare sicut vir sacris ordinibus initiatus consensu vxoris votũ solenne castitatis facit, sic & vxor, quæ viro consensit: ac propterea, si alteri mortuo viro, nubat, nullũ est matrimonium. Ipse Bonauentura, & Glossa in prædicto capite, si se cuiquam, dicere videtur, hoc ideo esse, quia Canones & iura voluerunt, vt huiusmodi matrimonium esset irritũ & inane. **SI QVA ERAS**, quid iuris sit, quum vir reluctante vxore vel inficia, fuerit sacris ordinibus initiatus. Quidam aiunt idem iuris esse de ea, quod est de vxore, cuius consensu explicito, vel tacito vir ordinatus est: id est, idem iuris esse de vxore consentiente, vel sciente, & non reclamante cum possit: quia, inquit, matrimonium non fit irritum ratione voti, quod vxor fecerit, sed quia Canones & iura statuerunt, vt vir & vxor secum inuicem actiones spirituales communicarent, quod vim & locum habet in vtraque vxore. Alij dicunt, nõ esse idem iuris in vtraque vxore, & eam, qua renuente vel ignorante, vir sacros ordines suscipit, posse nuptias iure contrahere viro defuncto. Sic videtur sentire S. Thomas in additionibus. q. 53. art. 4. ad 4.

Duodecimò queritur, quid dicendum, si maritus sciente & repugnante vxore est sacris ordinibus initiatus? Respondeo cum Abbate in cap. 1. de Conuers. coniug. num. 7. vxorem ius habere repetendi virum suum. cap. Quidam, de Conuers. Coniug. & vir vxori restitutus debitum coniugale reddere, iure ipso compellitur, nequit tamen petere debitum, quia suo iure cessit voto castitatis sese obligans, Angel. Verbo, Matrimonium. 4. num. 11. Silu. diuortium, quest. 17. Tabien. Matrimonium. 1. quest. 3. Armil. diuortium. num. 11. Rosel. impedimentum. 11. Idem iuris est, si vir ordinatus est vxore consentiente quidem, sed motu probabilis & iusto hoc est eadente in constantem virum coacta. c. Accedens, de conuers. coniugat. idem iuris est si per dolum consensit. cap. Veniens, de conuers. coniugat. Abbas. Angelus Rosel. Silu. Tabien. Armilla locis citatis, idem dicendum si ordinatus est vxore ignorante. c. Placet, de Conuers. coniugat. Abbas & alij supra citati: idem dicendum quando ordinatus est vxore sciente, & nec contradicente, nec consentiente, sed conueniente, vt colligitur ex c. Consultus, de Conuers. coniug. Sic Abb. Angel. Silu. Rosel. Tabien. Armil. supra citati. **SI QVA ERAS**, an vir huiusmodi ordinatus, quem vxor dum vixit, potuit repetere, sed non repetiuit, vxore mortua possit iure alteram ducere. Respondeo, non posse. Sic Abbas Rosella, Angel. Silu. Tabien. Armilla locis supra citatis.

Decimotertio Queritur, An vir post diuortium legitima iudicis Ecclesiastici auctoritate factum possit iure ad sacros ordines promoueri absque vllõ vxoris per diuortium separatæ consensu. Respondet Sot. in 4. dist. 36. quest. 1. art. 5. ad finem

posse,

posse, si vxor causam diuortio dedit, quippe quæ adulterium publicè cõmisit. Quidã iunior Theologus tracta. de Sacram. Matrim. q. 53. artic. 4. respondit posse, quia hoc definitum est in cap. Constitutus, de conuers. coniugat. & quia hoc ipsum ratio cõprobat, quoniam huiusmodi vir potest in sæculo manens debitum coniugale vxori perpetuò denegare. Ergo potest sacros ordines recipere. Item potest iure in religionem ingredi, & eam profiteri vxore inuita. cap. Agathosa 27. q. 2. ergo & potest ad sacros ordines ascendere. Sed certè nõ est cur Sotus tam certò in hac quæstione sententiam pronunciet, cum sit maximè dubia: nec est, cur ille alius Theologus ita esse definitum in cap. Constitutus, affirmet, cum Innocentius, Hostiensis, & alij grauissimi Canonici iuris interpretes id omninò negent. Sciendum igitur est: Iuno, Hostien. Ioan. Andream in cap. veniens, de Conuers. coniugat. Et Antonium Butrium, & Anchar. & Henricum in cap. Constitutus, de Conuersio. coniug. Astésem in Sum. Lib. 8. tit. 11. artic. 2. q. 9. & Ioan. in Sum. tit. de Conuers. coniug. q. 58. docere huiusmodi virum posse quidem religionem capeere & profiteri sine vilo vxoris consensu, iuxta id quod habetur in cap. Agathosa. 27. quæst. 2. Sed non posse sacros ordines recipere sine vxoris consensu. Et ratio differentie, inquit, est, quia eo ipso quod vir sacros ordines recipit, vxor compellitur continentiam perpetuò seruare etiam post obitum viri, cap. Seriatim. dist. 32. c. si se cuiquam dist. 23. quod locum habere non potest in vxore, cum vir religionem profiteretur absque eius consensu: neque enim tunc vilo iure vxor continentiam vouere cogitur. Et quia durum est vxorem inuitam compellere ad continentiam perpetuò seruandam: hinc est vt nunquam citra consensum vxoris vir sit ad sacros ordines promouendus, quamuis possit iure se ad religionem conferre. Vnde in cap. constitutus, de conuers. coniugat. quia vir quidam post diuortium ob adulterium vxoris ad sacros ordines ascenderat, dolore conscientie tactus ad Monasterium se contulit. Nihilominus tamen Abbas in cap. Constitutus, de conuers. coniug. contra Innocentium, Hostiensem, & alios sentit huiusmodi virum iure posse sine vxoris consensu ad sacros ordines ascendere: nec in eo casu vxorem à nuptijs contrahendis post obitum viri repelli, quoniam nullum continentie votum emittit. Et Palud. in 4. dist. 37. q. 3. artic. 1. docet, in ijs casibus, in quibus potest iure ingredi in religionem maritus inuita vxore, posse quoque sacros ordines suscipere: cuius sententiam ad verbum sequuntur Silu. in verbo. diuortium. q. 17. Tabien. matrimonium. l. q. 3. Armil. diuortium. num. 11. Ego quamuis regulam illam generalem Paludani nõ probem, quia vt paulò ante dixi post matrimonium ratu, quod non est consummatum, vir inuita vel in scia vxore potest iure se ad religionem conferre, nequit tamen ad sacros ordines promoueri: probo tamen in hac parte Abbatis sententiam contra Innocentium, & alios videlicet diuortio factò, ob adulterium vxoris, & legitima iudicis auctoritate confirmato, posse virum sine vxoris consensu ad sacros ordines prouehi. Si obijciat, ergo non erat, cur ille, de quo sermo est in capite, constitutus, de conuers. coniug. conscientie

stimulo vexaretur, eo quod sacris ordinibus esset initiatus post diuortium factum legitima iudicis auctoritate. Respondent quidam in eo capite, illum ideo conscientie stimulis premi, quia adulterium quoque ipse commiserat: hoc tamen refutat Abbas *ibidem*, quia si vir adulterium admisit, in religionem ingredi non potuit, quoniam eo ipso debuit vxori suæ recõciliari, paria enim delicta mutua compensatione tolluntur, vt dicitur in c. Intelleximus. & c. tua fraternitas, de adulte. Respondet Abbas, eum monasticam vitam suscepisse, vt maiorem suorum peccatorum poenitentiam ageret. Sed quid si aliquis vxore ignorante creatus, & consecratus esset Romanus Pontifex? nunquid posset vxor eum tanquam virum suum repetere? De hoc Glossa in cap. Si quis pecunia. dist. 79. & Abbas & cæteri in c. constitutus, de conuers. coniug. Glossa communi consensu approbata respondet, si certo constaret vxorem esse, & ignorasse factum, & induci ea vxor non posset, ad continentiam perpetuam in religione seruandam, restitui vir ipsi deberet, & Pontificia potestate, & dignitate in foro conscientie se abdicare cogetur. Si res dubia esset, videlicet quia dubitaretur, de vxore, aut de eius ignorantia, ipse, non alius de re tota iudicaret. Hæc ex Glossa.

Decimoquarto quæritur, An Clerici in minoribus ordinibus constituti iure possint ducere vxorem viduam, siue corruptam. Ratio dubitandi est, quia in c. Seriatim. dist. 32. habetur, Sancta Romana Ecclesia, de gradibus clericorum, ait. Clericos, Ostitarios, Lectores, Exorcistas, Acolytos, si extra votum & habitum monachi inueniantur, & continentiam profiteri noluerint, vxorem ducere virginem cum benedictione sacerdotali permittuntur: non autem viduam aut repudiatam. Respondet, hoc ideo in eo capite dici, quia si huiusmodi clerici corruptam duxerint, amplius ad superiores ordines ascendere etiam post obitum vxoris, vel ad sacra Clericorũ ministeria redire, & Clericorum priuilegijs gaudere iure non possunt: at non peccant, si viduam vel corruptam duxerint animo, & voluntate nunquam amplius superiores ordines capeffendi, vel clericorum ministeria obeundi, & priuilegijs potiundi. cap. 1. de cleric. coniug. in 6.

Decimosexto quæritur, An clerici minoribus ordinibus initiati, si ad nuptias transferunt priuilegia concessa clericis amittant in cap. 1. de cleric. coniug. in 6. ita legitur: Clerici, qui cum vnicis, & virginibus contraxerint, si tonsuram, & vestes deserant, clericale priuilegium retineant canonis, ab Innocentio Papa secundo prædecessore nostro editi in fauorem tunc ordinis clericali. Et cum iuxta Parisense Concilium nullus Clericus distringi, aut cõdemnari debeat à iudice seculari, præfenti declaramus edicto, huiusmodi clericos coniugatos pro commissis ab eis excessibus, vel delictis trahi non posse criminaliter aut civiliter ad iudicium seculari. Sic ibi. Et in Concil. Trident. Sess. 23. cap. 6. de reformat. habetur. In clericis verò coniugatis seruetur constitutio Bonificij VIII. que incipit. Clerici, qui cum vnicis. Modò hi Clerici alicuius Ecclesie seruiant, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesie seruiant, vel ministrent: & Clericali habitu, & Tonsura videntur: nemini quoad hoc priuilegio vel consuetudine etiã immemorabili iustitragante. Hæc synodus. Nõ sufficit, si vnã tantum vestè clericorum deferat, & nõ omnes. Francus & alij in c. Clerici.

rici, de clerici, coning. in 6. Couarr. de Practic. question. cap. 31. num. 7. Porro vestes clericorum propriæ censentur, ex quibus communi vsu & more in provincia recepto clerici honestè vtuntur. Glossa in cap. penult. de vit. & honest. clericor. Couar. loco citato vbi citat Alex. Abba. Cardina. & Rochum. Item necesse est, vt clericus eo tempore, quo delictum admittit, deferat vestes, tonsura vtatur, & inferuiat Ecclesie: alioqui non sufficit, si post delictum patratum prædicta habeat, ex Couarruua loco citato. **SI QVAERAT** aliquis, an huiusmodi clericus gaudeat alijs clericorum immunitatibus. Respondeo, minimè, sed tantum gaudet priuilegio concesso in cap. Si quis suadente. 17. q. 4. & priuilegio, vt coram iudice ciuili conueniri non possit. Archidiacon. Ioan. And. Gemina. & Francus in eo capite, Clerici, & Couarr. loco citato. Vnde liber non est à tributis, vectigalibus, & alijs contributionibus, & muneribus consuetis: nec potest esse Vicarius Episcopi, sicut nõ potest laicus. **SI ITERVM ROGES**, an si huiusmodi clericus negotietur, vel arma deferat, amittat duo prædicta priuilegia. Respondeo non amittere, sic docent Francus & Couarruuias & alij, quia Canones & iura solum postulant, vt gesser vestes clericorum proprias, & tonsuram, & inferuiat alicui Ecclesie Episcopi auctoritate eidè deputatus. **SI TERTIO QVAERAS**, an in causis ciuilibus videlicet quæ ex contractu, vel quasi contractu descendunt, possit coram iudice sæculari conueniri. Francus negat, sed Ioan. And. Anchar. Do-

minicus, Cardin. & Imola, quos refert, & sequitur Couarruuias, affirmant, quia in capite Clerici, solum habetur, in causis criminalibus siue criminaliter siue ciuilitè: ergo in ciuilibus priuilegio non gaudet. Sed dubiæ quæstionis est, an huiusmodi clericus possit à iudice sæculari in causis ciuilibus capi, & in carcerem mitti. Francus negat, quia dicitur in c. Clerici. iuxta Concilium Parisiense, non posse clericum distringi, aut condemnari à sæculari iudice. Couarruuias ait esse alicubi vsu receptum, vt huiusmodi clericus in causis ciuilibus per iudicem capiatur, in carcerem mittatur, & condemnetur ad debitum soluendum. **VLTIMO SI QVAERAS**, an huiusmodi Clericus mortua vxore, si redeat ad propria clericorum ministeria, gaudeat omnibus priuilegijs, quæ sunt concessa clericis. Responder Abbas in c. 2. de vita & honest. cleri. & Couarruuias eum sequutus, gaudere, modo corruptam vxorè non duxerit, & vnam tantum habuerit. Sed nunquid recuperabit ius, quod ab Beneficium primò vacaturum, habuerat, antequam vxorem duceret. Respondeo cum Glossa in c. Clerici, prædicto: minimè, quia sicut eo ipso quod nuptias contraxit, amisit omne beneficium Ecclesiasticum, sic etiam amisit omne ius quod habebat ad Beneficium aliquod vacaturum: & ius extinctum, non reuiuiscit.

Finis Vltimi Libri.



INDEX